

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Commentarium Marsilii Ficini Florentini in convivium Platonis, de amore

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

men prohibet inter hos etiam bonos quosdam esse viros: & certe qui talis fuerit, mirifice est colendus. Nempe arduum est, o Callicles, ingentiq; laude dignum, ut quis in magna peccandi licentia constitutus iustam transigat vitam: pauciq; tales reperiuntur. Fuisse tamen & hic & alibi, atq; ut arbitror, erunt nonnulli praecleari boniq; viri, haec videlicet virtute praediti, per quam ea quorum sibi concessa est autoritas, iusta tractarent, unus autem Graecorum omnium probatissimus Aristides Lysimachi filius extitit. Plures autem, o vir optime, potentum improbi sunt. Quae ebreum ut dicebam quando Rhodamantibus aliquem eiusmodi deprehendit, nihil aliud in ipso nouit, neq; quisnam sit, neq; ex quibus ortus, sed utrum sit malus: cumq; id compererit, dimittit in Tartarum, obsignans utrum sanabilis vel insanabilis videatur. Ille vero illic transmissus meritis subit poenas. Interdum vero alium intuitus animum uel priuati, uel alicuius alterius qui pie atq; integre uixerit, quod quidem philosophus potissimum conringere arbitror, rem suam agentibus neq; multum se negotijs implicantibus: applaudit huic transmittit ad insulas beatorum. Haec eadem Acaeus efficit. Vterq; vero ipsorum virgam tenet, dum iudicat. Minos autem considerans sedet solus, aureum habens sceptrum, quem admodum de hoc apud Homerum inquit Ulysses, videlicet illum vidisse sceptrum aureum tenentem, iuraq; mortuis dante. Ego igitur, o Callicles, ab huiusmodi sermonibus flector, & iam considero qua ratione iudici sanissimum animum ostendere possim. Quamobrem omnes populi spernens honores, veritatemq; considerans, conabor reuera, quam maxime potero bonus viuere atq; mori. Cohortor autem & ceteros omnes quantum possum. Te quoq; ad huiusmodi vitam reuoco atq; certamen, quod equidem assero praeclearis certaminibus in hac vita esse homini subeundum. Quapropter & te obiurgo qui non poteris tibi ipsi opem ferre, quado de te iudicabitur, instabitq; sententia quam modo dicebam. Sed cum perueneris ad iudicem Aegina filium, allegat te apprehensum ducet, oscitabis vacillabisq; illic non minus quam ego hic apud iudices vestros. Ibi forsitan percutiet te aliquis turpiter super genam, et contumelia iniuriatq; prorsus afficiet. Haec forsitan anilis quaedam fabula tibi videtur, & quae dicta sunt contemnis, sed profecto nihil mirabile foret haec spernere, si quo pacto perquirentes meliora his & ueriora inuenire possemus. Nunc vero vides, cum tres viri sitis omnium qui nunc sunt Graecorum sapientissimi, tu scilicet & Polus, & Gorgias, non posse uos tamen ostendere alia esse ratione viuendum, quam ea qua illuc quoq; conducere videatur. Imo vero in tot sermonibus cum ceteri redarguti fuerint, solus hic remanet firmus, scilicet cauendum esse iniuriam facere magis quam pati, idq; viro praeclearis omnibus meditando, non ut bonus quidem videatur, sed ut reuera sit bonus publice atq; priuatim. Si quis autem malus quodam modo fuerit, esse puniendum. Idq; secundo loco bonum esse, post id quod est esse iustum, videlicet fieri castigatione bonum, poenasq; iniustitia luere, omnem praeterea adulationem circa seipsum & alios, siue paucos, siue multos fugiendam esse: Rhetorica deniq; omniq; alio actionis genere pro iniustitia duntaxat utendum. Quas ob res mihi credens, sequere me illuc, quo cum perueneris, & viuens & mortuus beatus eris, quemadmodum tuus quoque

sermo significat. Atq; permittit ut aliquis te contemnat ut stultum, iniuriatq; si liber afficiat, ne ue cures, si ignominiose percutiatur. Nihil n. graue patieris, si reuera honestus bonusq; sis, virtutemq; exerceas. Postquam vero sic una exercitati fuerimus, tunc si tibi operae precium esse videbitur, ad publica iam nos negotia conferemus, aut ad quodcumq; nobis deliberantibus tum, quando melius deliberare poterimus, visum fuerit. Turpe n. est cum tales simus, quales nunc esse videmur, iactare se verbis quae si aliquid simus, quibus nunquam de rebus eiusdem et quidem maximis eadem iudicantur, intantum processimus ruditatis. Hanc igitur rationem, qua nunc nobis innotuit, tanquam ducem sequamur, ostendentem nobis hunc optimu esse uiuendi modum, ut iustitiam ceterasq; uirtutes per tota uitam exerceamus. Huic igitur obtemperemus, aliosq; ad hanc adhortemur. Non autem pareamus illi, quae tu confisus ad eandem me exhortaris. Nullus n. est precij:

COMMENTARIUM  
MARSILII FICINI FLO-  
RENTINI IN CONVI-  
VIUM PLATONIS,  
DE AMORE.

CAPVT I.



**P**LATO philosophorum pater annos unum et octoginta etatis natus, septimo Nouembris die, quo ortus fuerat, discumbens in conuiuio remotis dapibus exspirauit. Hoc autem conuiuium, quo & natalitia, & anniuersaria Platonis pariter continentur, praeci omnes Platonicus, usque ad Plotini & Porphyry tempora, quotannis inuicem abant. Post vero Porphyrium mille ac ducentos annos, solemnes haec dapes praetermissae fuerunt. Tandem nostris temporibus uir clarissimus Laurentius Medicus Platonicum conuiuium inuouaturus, Franciscum Bandinum Archicriaticum constituit. Cum igitur septimum Nouembris diem colere Bandinus instituisset, regio apparatu in agro Caregio nouem Platonicos accepit conuiuias: Antonium Allium episcopum Fesulanum, Ficinum Medicum, Christophorum Landinum poetam, Bernardum Nutium rhetorem, Thomam Bencium, Ioannem Caualcantem familiarem nostrum, quem propter uirtutem animi, & egregiam indolem Heroem conuiuiae nuncupauerunt: Marsupinos duos, Christophorum Carolumq; Caroli poetae filios. Me denique nonum Bandinus esse uoluit, ut Marsilio Ficino superioribus addito musarum numerus impleteretur. Remotis dapibus Bernardus Nutius Platonis accepit libris, qui Conuiuium de Amore inscribitur: legitq; omnes Symposij huius orationes, quibus lectis reliquos conuiuias orauit, ut singuli singulas orationes exponerent. Assensere oes: iactisq; sortibus, prima illa Phaedri oratio, Ioanni Caualcanti obtigit exponenda. Pausania oratio, Antonio Theologo. Eryximachi Medici, Ficino Medico. Poetae Aristophanis, Christophoro Poetae. Agathonis adolescentis, Carolo Marsupino. Thomae Bencio data est Socratis disputatio. Alcibiadis uero Christophoro Marsupino. Sortem hmoi probauere oes. Verum episcopus ac medicus, alter ad animorum, alter ad corporum cura abire coacti, partes in dicendo suas Ioanni Caualcanti reliquerunt. Ceteri ad hunc conuersi sunt, paratq; ad audiendum conticuerunt. Tunc heros ille in hunc modum est exorsus.

QUA REGULA LAUDANDVS SIT AMOR.  
Quae sit eius dignitas et magnitudo. Cap. II.

**G**ratissima mihi optimi conuiuiae fors ista hodie obtigit, qua esse etiam est, ut personam Phaedri Myrrhinusij gerere. Phaedri illius, in qua, cuius familiaritate tibi fecit Lysias Thebanus summus orator, ut oratione licubrationibus multis coposita, eum sibi conciliare cotenderit: cuius indole Socrates usque adeo admiratus est, ut eius splendore quadoq; iuxta Ulyssum fluminis concitus altiusq; sublatus mysteria

Qualis fuerit Phaedrus.

diuina cecinerit: qui antea non solum celestium, sed inferiorum quoque omnium se inscium praedicauerat. Cuius ingenio adeo delectatus est Plato, ut primitias studiorum suorum Phaedro dicauerit. Ad hunc epigrammata, ad hunc elegia Platonis, ad hunc primus eius de pulchritudine liber, qui Phaedrus inscribitur. Cum igitur huius Phaedri me similem, non ego quidem, non enim tantum mihi arrogo, sed fortis casus primo, & vester deinde applausus iudicauerit, his felicibus auspicijs eius in primis orationem libenter interpretabor. Deinde Antonij et Ficini partes pro ingenij viribus exequat. Tria in omni re viri optimi philosophus quisque Platonis imitator considerat, quae antecedunt, quae comitantur, & quae sequuntur. Haec si bona sint, rem ipsam laudat: sin mala, vituperat. Ea igitur perfecta laudatio est, quae praecedentem rei recenset originem, praesentem formam narrat, sequentes ostendit euentus. Ab antecedentibus res quae laudatur, ut nobilitas: a praesentibus, ut magna: a sequentibus, ut utilitas. Quare ex tribus illis tria haec in laudibus concluduntur: Nobilitas, magnitudo, atque utilitas. Ideo Phaedrus noster in primis praesentem Amoris excellentiam contemplatus, Magnum deum vocauit: adiunxit, Djs hominibusque mirandum. Nec iniuria. Nam ea proprie quae magna sunt admiramur. Magnus ille quidem, cuius imperio homines & dij, ut aiunt, omnes subiiciuntur. Nam tam dij apud veteres quam homines amant, quod Orpheus Hesiodusque significat, dicentes mortalium & immortalium mentes amore domari. Admirandus praeterea dicitur, quoniam illud quisque amat, cuius pulchritudinem admiratur. Dij quidem, siue ut nostri dicunt, Angeli, diuinam pulchritudinem: Homines corporum species admittuntur, & amant. Atque haec quidem laus Amoris est, a praesenti excellentia quae ipsum comitatur deducta. Laudat deinde ad antecedentibus Phaedrus, cum deorum omnium esse asserit antiquissimum. In quo nobilitas amoris effulget, cum prisca eius origo narratur. Laudabit & tertio a sequentibus, ubi miracula eius ab euentu apparebit utilitas. Sed de prisca & nobili eius origine primum: deinde de futura utilitate tractabimus. Orpheus in Argonautica, cum de rerum principijs coram Chirone heroibusque cantaret, Mercurij Trifmegisti theologiam secutus, Chaos ante mundum posuit, & ante Saturnum, Iouem, caeterosque deos. Amorem in ipsius Chaos sinu locauit, laudantque his verbis.

Quae proba laudatio.

Orpheus de rerum principio.

ORIGO AMORIS EX CHAOS.

CAP. III.

Antiquissimum, seipso perfectum, consiliosissimumque Amorem, Hesiodus in Theogonia: & in libro De natura Parmenides Pythagoricus, Acusileusque poeta, cum Orpheo & Mercurio consenserunt. Plato in Timaeo chaos describit similiter: & in eo locat amorem. Atque idem in conuiuio Phaedrus recensuit. Chaos Platonicum in formam mundum uocant: Mundum vero formatum chaos. Tres apud eos mundi sunt, tria uidem Chaos erunt. Primum omnium est deus uniuersorum auctor, quod ipsum bonum dicimus. Hic mentem primo creat angelicam: deinde mundi huius animam, ut Plato uult: Postremo mundi corpus. Summum illum deum, non mundum dicimus: quia mundus ornamentum significat ex multis compositum, ille uero penitus simplex esse debet: sed mundorum omnium principium atque finem ipsum asserimus. Mens angelica primus mundus est a deo factus. Secundus uniuersi corporis anima. Tertius tota haec quaerimus machina. In his itaque mundis tribus, tria & chaos considerantur. Principio deus mentis illius creat substantiam: quam etiam essentiam nominamus. Haec in primo illo creationis suae momento informis est, & obscura. Quoniam uero a deo nata est, ad deum sui principium ingenito quodam appetitu conuertitur. Conuersa in deum, ipsius radio illustratur. Radius illius fulgore ille suus appetitus accenditur. Accensus appetitus deo totus inhaeret: inherendo formatur. Nam deus qui potest omnia, in mente sibi inherente creaturam rerum naturas effingit. In ea igitur spiritali quodammodo pinguntur, ut ita loquar, omnia quae in corporibus istis sentimus. Illis colorum elementorumque globi, sidera, uaporum natura, lapidum, metallorum, plantarum, animalium formae gignuntur. Huiusmodi rerum omnium species dei fomento quodam in superna illa mente conceptas, Ideas esse non dubitamus: & formam illam idearum: caelorum, saepe deum caelorum uocamus. Formam planetae primi Saturnum deum: Secundi Iouem, atque in sequentibus planetis eodem pacto. Ignis quoque huius ideam illam, Vulcanum deum: Aeris Iouem atque Iunonem: Aquae Neptunum: Terrae Plutonem. Quare dij omnes certis inferioris mundi partibus assignati. Ideae illarum partium sunt in superna illa mente collectae. Sed eam idearum conceptionem a formante deo perfectam praecessit illa mentis ad deum ap-

propinquatio. Hanc praecessit appetitus incendiam, hoc infusio uadij, hanc prima illa appetitus conuersio, hanc informis mentis essentia. Porro essentiam istam nondum formatam chaos esse volumus. Primam ipsius in deum conuersionem, amoris ortum: radij infusionem, amoris pabulum, incendium sequens, amoris dicimus incrementum: appropinquationem, amoris impetum: formationem, amoris perfectionem. Formarum omnium, idearumque complexione. Mundum Latine, Graece νεοσμοσ, id est ornamentum uocamus. Huius ornamentum gratia pulchritudo est. Ad quam amor ille statim natus traxit mentem: atque perduxit mentem ante deformem, ad mentem eandem deinde formosam. Ideo amoris conditio est: ut ad pulchritudinem rapiat, ac deformem formoso coniungat. Quis igitur dubitabit, quin amor statim chaos sequatur, praecedatque mundum, & deos omnes, qui mundi partibus distributi sunt? Cum mens ille appetitus ante sui formationem sit, & in mente formata diu mundusque nascantur. Merito igitur antiquissimum hunc Orpheus nominauit. Praeterea seipso perfectum: quasi dicat seipsum perfectientem. Quoniam primus ille mentis instinctus suapte natura a deo perfectionem suam haurire uideatur, atque eam menti, quae inde formatur, & dijs qui inde gignuntur, praebere. Consiliosissimum insuper nominauit, nec iniuria. Nam omnis sapientia cuius proprium est consilium, ideo menti data est: quia amore in deum conuersa, ipsius fulgore resulsit. Eodem modo mens ad deum, quo ad lumen solis dirigitur oculus. Hic enim afficit primo, uidet deinde solis lumen: tertio in solis lumine rerum colores figurisque comprehendit. Quare oculus obscurus primo, & chaos instar informis, lumen amat dum afficit, irradiatur afficiendo, radium accipiendo rerum coloribus figurisque formatur. Quomodo admodum uero in deum mens illa statim nata & informis amore conuertitur & formatur: sic mundi anima in mentem, deumque illinc genita se reflectit. Et cum primo informis sit, & chaos amore in mentem directa, acceptis ab ea formis sit mundus: non aliter & mundi huius materia, cum principio sine formarum ornamento in forme chaos iaceret, illico amore sibi ingenito, in animam se direxit, seque illi obedientem praebuit: atque hoc amore conciliante, ab anima formarum omnium quae in mundo uidentur nata ornamentum, mundus ex chaos effecta est. Tres igitur mundi, tria & chaos. In omnibus denique amor chaos comitatur, praecedit mundum, torpentia suscitatur, obscura illuminatur, uiuificat mortuos, format informia, perficit imperfecta. Quibus laudibus nulla ferme maiores aut dici, aut excogitari possunt.

DE UTILITATE AMORIS.

CAP. IIII.

Sed de origine eius, & notabilitate haec lenius. De utilitate iam arbitror differendum. Singula quidem amoris beneficia generi humano collata referre superuacuum est: praesertim cum summam comprehendendi omnia possint. Omnia enim in eo consistunt, ut uitae malis bona sequamur. Mala hominis & turpia eadem sunt. Bonum uero eadem atque honesta. Profecto nihil aliud leges & doctrinae omnes contendunt, quam ita homines instituere, ut declinent a turpibus, agant honesta. Hoc autem ipsum, quod innumerabiles penes leges & artes uix tandem longo tempore assequuntur. Amor ipse uero breui tempore perficit. Nam a turpibus pudor absterret, ad honesta excellendi studium prouocat. Duo haec nihil aliud facilius, ac citius quam amor hominibus exhibet. Cum amorem dicimus, pulchritudinis desiderium intelligite. Haec enim apud omnes philosophos amoris definitio est. Pulchritudo uero gratia quaedam est, quae ut plurimum in concinnitate plurium maxime nascitur. Ea triplex est, siquidem ex plurium virtutum concinnitate in animis gratia est. Ex plurium colorum linearumque concordia, in corporibus gratia nascitur. Gratia item in sonis maxima ex uocum plurium consonantia. Triplex igitur pulchritudo, animorum, corporum atque uocum. Amorum mente cognoscitur, Corporum oculis, Uocum auribus solis percipitur. Cum ergo mens, uisus, auditus, sint quibus solis sui pulchritudine possumus, Amor uero sit fruendae pulchritudinis desiderium, Amor semper mente, Oculis, Auribus est contentus. Quid olfactu? quid gustu? quid tactu opus est? Odores, Sapores, Calorem, Frigus, Mollitiem & duritiem, horumque similia sensus isti percipiunt. Istorum nullum humana pulchritudo est, cum formae simplices sint, humani autem corporis pulchritudo membrorum requirat diuersorum concordiam. Amor tanquam eius finem fruitionem respicit pulchritudinis, ista ad mentem, uisum, auditum pertinet solum. Amor ergo in tribus istis terminatur. Appetitio uero, quae reliquos sequitur sensus, non amor sed libido rabiesque uocatur. Praeterea si amor erga bonum pulchritudinem ipsam desiderat, humani autem corporis pulchritudo

In quibus libido non amor. ... Virtus in quadam concinnitate consistit, concinnitas temperantia est, sola que temperata, modesta, decora sunt, exigit amor. ...

Vtilitas amoris.

...vaticinatus Orpheus, Iouem principium, medium, & finem universi vocavit. Principium ut producit: Medium ut produca retrahit ad seipsum: Finem prout redeuntia perficit. ...

QVO PACTO DIVINA pulchritudo, amorem parit.

C A P. I I.

Divina verò hæc species in omnibus amorem, hoc est sui desiderium, procreant. Quoniam si Deus ad se rapit mundum, mundusque rapitur: unus quidem continuus attractus est à deo incipiens, transiens in mundum, in Deum denique desinens: qui quasi circulo quodam in idem unde manavit iterum remeat. ...

PVLCHRITVDO EST SPLENDOR diuinæ bonitatis, & deus est centrum quattuor circulorum.

C A P. I I I.

ORATIO SECUNDA.

DEVS BONITAS, PVLCHRITVDO, iustitia, principium, medium, finis.

C A P. I.

Trinitatem Pythagorici philosophi rerum omnium mensuram esse voluerunt, ob eam arbitror rationem, quod deus ternario numero res gubernat, atque etiam res ipse ternario numero terminantur. ...

Neque ab re theologi veteres, Bonitatem in centro, pulchritudinem in circulo posuerunt. Bonitatem inquam in centro vno, in circulis autem quattuor, Pulchritudinem. Centrum vnum omnium Deus est. ...

fui quodam puncto uno simplici et immobili coguntur attingere. Quis negat Deum centrum omnium merito nominari: cum omnibus insit unus penitus, simplex, atque immobilis: cuncta verò ab ipso producta, multa, composita, & mobilia sint, atque ut ab eo manant, ita in eum instar linearum & circumferentiarum resurgunt? Ita, mens, anima, natura, materia procedentes à deo in eundem redire nituntur: sequi undique pro viribus in illum circumferunt. Atque ut centrum punctum ubique in lineis & in toto circulo reperitur, perque punctum suum singulae lineae medium circuli tangunt punctum: ita deus omnium centrum, qui unitas simplicissima est, actusque purissimus, sese inserit universis: non ob id solum, quia cunctis est praesens, verumetiam quia omnibus à se creatis partem aliquam, vel potentiam intimam, simplicissimam praestantissimam invidit: quae reverentiam nominatur: à qua & ad quam tanquam à centro & ad centrum suum rei cuiusque partes & potentiae reliquae pendunt. Ad hoc planè suum centrum, ad hanc propriam unitatem se colligant creaturae prius oportet, quam suo habeant creatori: ut per proprium centrum, quod iam saepe repetimus, centro omnium hereant. In apicem suum caputque mens angeli ante consurgit, quam ascendat in deum. Anima quoque & reliquae eodem pacto. Atque illorum invisibilium circularum, mentis scilicet, animae, naturae, visibilis mundi circulus est imago. Corpora enim animarum mentiumque umbrae & vestigia sunt. Umbra verò & vestigium figura eius, cuius umbra est, & vestigium refert. Quapropter quattuor illa, non iniuria circuli quattuor appellantur. Sed mens immobilis orbis propterea, quod tam operatio eius quam substantia semper eadem permanet, & similiter operatur: intelligit semper eodem modo, nulli; similiter. Mobilis autem quandoque mens ex eo solum dici potest, quod quemadmodum cetera omnia à deo procedens in eundem se vertit. Anima mundi, & alia quaevis, circulus mobilis. Haec enim sua natura discurrendo cognoscit, & temporum curriculis operatur. Discursio autem ab alio in aliud, & operatio temporalis, motus proculdubio nominatur. Si qua verò in animae cognitione stabilitas est, mentis consistat potius quam animae beneficio. Natura etiam mobilis est circuitus. Cum animam dicimus, praeceptorum more theologorum vim in ratione & sensu positam intelligimus: cum naturam, vim animae in generando locatam. Vim illam in nobis hominem proprie vocauerunt: istam hominis idolum & simulacrum. Haec sanè generandi facultas ideo mobilis dicitur: quia temporis spatium suum opus exequitur. Verum in hac ab illa animae proprietate discrepat: quod anima per se, & in se movetur. Per se, inquam, quia principium motus existit. In se etiam, quia in ipsa animae substantia rationis & sensus remanet operatio. Ex his opus nullum necessario resultat in corpore. Generandi verò vis illa quam vocamus naturam, per se quidem movetur: cum animae per se mota vis quaedam sit. Moveri autem in alio dicitur: quia in mole corporis operatio eius operatio terminatur. Corpus enim nutrit, augetque & generat. Materia verò & corporis moles, orbis est ab alio, & in alio mobilis. Ab alio quidem, quoniam ab anima necessario agitur. In alio autem, quia in loci spatio motus corporis agitur. Iam igitur quam ab causam bonitatem in centro, in circulo pulchritudinem, theologi collocant, aperte intelligere possumus. Bonitas siquidem rerum omnium unus ipse est deus, per quem cuncta sunt bona. Pulchritudo autem dei radius, quattuor illis insitus circulis circa deum quodammodo revolutis. huiusmodi radius omnes rerum omnium species in quattuor illis effingit: species illas in mente ideas, in anima rationes, in natura semina, in materia formas appellare solemus. Idearum splendor in primo: rationum in secundo: in tertio seminum: formarum in ultimo.

QUOMODO PLATO DE  
rebus divinis exponatur.

CAP. IIII.

Hoc mysterium in epistola ad Dionysium regem Plato significavit: cum deum affirmavit pulchrorum omnium causam: quasi totius pulchritudinis principium & originem. Circa omnium, inquit, regem cuncta sunt: ipsius gratia omnia: ipse causa est pulchrorum omnium: Secunda circa secundum. Tertia circa tertium. Humanus autem animus affectat qualia illa sint intelligere: aspiciens in ea quae sibi cognata sunt: quorum nihil sufficienter se habet. Circa verò ipsum regem & ea quae dixi, nihil est tale: quod autem post hoc est, animus dicit. Circa regem, non intrat regem, sed extra significat. In Deo enim nulla est compositio. Quid verò dictio illa Circa significat, exponit Plato, cum addit: Eius gratia omnia: ipse causa est pulchrorum omnium. Quasi dicat, ideo circa regem omnia sunt, quia

ad illum tanquam ad finem pro natura sua omnia revolvuntur, quae admodum ab illo tanquam principio producta sunt omnia. Pulchrorum omnium, id est, totius pulchritudinis: quae supradictis in circulis emicant. Formae enim corporum per semina: haec per rationes, haec per ideas reducuntur in deum, & ipsidem à deo gradibus producuntur. Proprie verò cum dicit Cuncta, ideas intelligit: nam in his reliqua includuntur. Secunda circa secundum: Tertia circa tertium. Tres mundi principes posuit Zoroastes, trium ordinum dominos: Oromasin, mithrin, arimanin. Hos Plato, deum, mentem, animam nuncupat. Tres autem ordines in divinis posuit speciebus ideas, rationes & semina. Prima igitur, id est, ideae, circa primum, id est, circa deum, quoniam à deo menti tributa sunt, & in eundem mentem cui sunt datae reducunt. Secunda circa secundum, id est, rationes circa mentem: quandoquidem per mentem in animam transeunt, & in mentem animam dirigunt. Tertia circa tertium, id est, semina rerum circa animam: nam per animam transeunt in naturam, in illam scilicet generandi potentiam, rursusque naturam animae copulant. Eodem ordine à natura in materiam formas descendunt. Sed eas Plato in ordine posito non connumerat, quia de divinis à Dionysio interrogatus tres ordines ad incorporales species pertinentes tanquam divinos induxit: Formas autem corporum praetermisit. Noluit autem deum regem primum vocare, sed omnium regem: ne si primum diceret, eum unam cum sequentibus ducibus in aliqua numeri specie, conditionisque paritate collocare forsitan videretur. Neque dixit prima circa illum, sed cuncta, ne crederetur eum ordinis alicuius potius quam cunctorum gubernatorem. Humanus animus affectat qualia illa sint intelligere. Scitè post illos tres divina pulchritudinis splendores tribus in circulis emicantes amorem animi ad illos adiecit. Illinc enim animi ardor accenditur. Quippe par est ut divinus divina desideret: aspiciens in ea, quae sibi cognata sunt. Quoniam humana cognitio à sensibus oritur, per ea quae in corporibus praestantiora videmus, divina indicare sapenúmero consuevimus: per corporalium rerum vires, de potentiam: per ordinem, sapientiam: per utilitatem, dei bonitatem investigamus. Vocat autem formas corporum animae cognatas, quasi proximè natas. Sequenti enim gradu post animam formas corporum disponuntur. Quorum nihil sufficienter se habet. Formae huiusmodi neque sufficienter sunt, neque sufficienter nobis divina ostendunt. Verè namque res, ideae, rationes, & semina sunt. Corporum verò formae, umbrae rerum potius, quam verè res esse videntur. Quemadmodum verò corporis umbra exactam atque distinctam corporis figuram non indicat, ita corpora divinarum naturam propriam non demonstrant. Circa ipsum regem & ea quae dixi, nihil est tale. Quo enim pacto mortalia immortalibus, & falsis veris similia sint? quod autem post hoc est, animus dicit: id est, animus dum divina per mortalia indicat, falsò de divinis loquitur: neque divina pronunciat, sed mortalia.

PULCHRITUDO DIVINA  
per omnia splendet, & amat

in omnibus.

CAP. V.

Aeterum ut paucis multa comprehendamus, bonum quidem ipsa supereminens dei existentia dicitur. Pulchritudo actus quidam sine radiis inde per omnia penetrans: Primo in angelicam mentem: Secundo in animam totius & reliquos animos: Tertio in naturam: Quarto in materiam corporum. Mentem idearum ordine decorat, animam rationum serie complet, naturam fulcit seminibus, Materiam formis exornat. Quemadmodum verò solis radius unus corpora quattuor, ignem, aerem, aquam, terramq; illustrat, sic unus dei radius mentem, animam, naturam, materiamq; illuminat. Atque in his quattuor elementis quicumque lumen inspicit, solis ipsius aspicit radium, perque ipsum ad supernam solis lucem intuendam convertitur. Ita quisquis decorem in quattuor istis, mente, anima, natura, corpore contempletur, amatque, dei fulgorem in his, perque fulgorem huiusmodi Deum ipsum intuetur & amat.

PASSIONES AMANTIVM.

CAP. VI.

HINC efficitur ut corporis nullius aspectu vel tactu amatoris impetus extinguatur. Non enim corpus hoc aut illud desiderat, sed superni luminis splendorem per corpora res fulgentem admiratur, affectat, & stupet. Quapropter quid cupiant, aut quaerant amantes ignorant. Deum namque ipsum ignorant, cuius sapor occultus odorem quandam sui dulcissimum operibus

operibus suis inseruit: Quo quidem ardore quotidie excitamur. Odo-  
rem quidem sentimus: Saporem proculdubio ignoramus. Cum igitur  
tur odore manifesto illecti saporem latenter desideremus, merito quid  
cupiamus, patiamurque nescimus. Hinc etiam semper accidit, ut a-  
mantes amari affectum timeant quodammodo atque venerentur.  
Quod etiam fortes, dicam equidem, & si vereor, ne quis vestrum  
hæc audiens erubescat, & sapientes inquam viri, coram inferiore  
quouis amato pati consueverunt. Nempe non humanum est quod eos  
terret, quod frangit, quod occupat. Humana enim vis in fortio-  
ribus sapientioribusque semper est excellentior: sed diuinitatis ful-  
gor ille in formosis emicans quasi dei simulacrum amantes obstupe-  
scere, contremiscere, & venerari compellit. Eadem ratione pro-  
pter amari presentiam amator diuitias & honores contemnit, &  
pro nihilo habet. Par enim est, ut diuina humanis anteponantur.  
Illud quoque euenire sepe numerò solet, ut se in amati personam quis  
que transferre cupiat. Nec immerito. Deus nanque pro homine  
fieri cupit, atque conatur. Quis autem pro Deo hominem non com-  
mutet? Fit etiam ut amore illaqueati vicissim suspirent & gaudeant.  
Suspirant quod seipsum amittunt, quod perdunt, quod perimunt.  
Gaudent quod in melius quiddam se transferunt. Calent quoque vi-  
cissim & frigent: instat eorum, quos tertiana febris inuadit. Me-  
rito frigent: quia calore proprio deseruntur: nec non & calent, cum  
superi radij fulgoribus accendantur. Frigiditatem timiditas: ca-  
liditatem audacia sequitur. Ideo timidi quoque vicissim & auda-  
ces apparent. Hebetissimi præterea quique acutiore amando red-  
duntur. Quis enim celesti radio aspirante, non acutissime videat?  
Verum de amore ipso, & pulchritudine, eiusque origine, amantium  
affectibus ista sufficiant.

DE DVOBVVS AMORIS GE-  
neribus, ac de duplici Venere.  
CAP. VIII.

**D**einceps de duobus Amorum generibus breuiter disputandum.  
Cupidinem Venere comitem esse apud Platonem Pausanias as-  
seruit. Totidemque esse Cupidines quot sint & Veneres, necessarium  
arbitratur. Veneres autem duas commemorat: quas itidem gemini  
Cupidines comitentur. Venere alteram quidem caelestem ponit:  
alteram verò vulgarem. Caelestem illam Cælo sine matre natam:  
Vulgarem ex Ioue & Dione genitam. Cælum Platonici summum  
deum ideo vocant, quia sicut cælum istud sublime corpus omnia cor-  
pora regit & continet, sic summus ille deus omnes spiritus super-  
eminet. Mentem verò plurimis nominibus nuncupant. Saturnum  
enim modo, modo Iouem, modo Venere vocant. Est namque mēs  
illa, viuunt, intelligit. Essentiam suam Saturnum, Vitam Iouem,  
Intelligentiam Venere appellare consueverunt. Animam præter-  
ea mundi, Saturnum similiter & Iouem vocamus & Venere.  
Prout superna intelligit, Saturnum. Prout caelestia mouet, Iouem.  
Ut inferiora generat, Venere. Venus prima, quæ in mente est,  
Cælo nata sine matre dicitur: quoniam mater apud Physicos ma-  
teria est. Mens autem illa à materia corporalis consortio est alie-  
na. Secunda Venus, quæ in mundi anima ponitur, ex Ioue &  
Dione genita. Ex Ioue, id est, ex ea virtute ipsius animæ, quæ ca-  
lestia mouet. Ea siquidem istam creauit potentiam, quæ inferiora hæc  
generat. Matrem quoque isti ideo tribuunt: quia materia mundi in  
fusa cum materia commercium habere putatur. Denique ut summa-  
tim dicam, duplex est Venus. Vna sanè est intelligentia illa quam  
in mente angelica posuimus. Altera vis generandi anima mundi  
tributa. Vtraque sui similem comitem habet amorem. Illa enim  
amore ingenito ad intelligendam dei pulchritudinem raptur. Hæc  
item amore suo ad eandem pulchritudinem in corporibus procrean-  
dam. Illa diuinitatis fulgorem in se primum complectitur: dein-  
de hunc in Venere secundam traducit. Hæc fulgoris illius scin-  
tillas in materiam mundi transfundit. Scintillarum huiusmodi præ-  
sentia singula mundi corpora, pro captu naturæ, speciosa viden-  
tur. Horum speciem corporum humanus animus per oculos perci-  
pit. Qui rursus vires geminas possidet. Quippe intelligenti vim  
habet. Habet & generandi potentiam. Hæc geminæ vires duæ  
in nobis sunt Veneres, quas & gemini comitantur amores. Cum  
primum humani corporis species oculis nostris offertur, mens no-  
stra quæ prima in nobis Venus est, eam tanquam diuini decoris  
imaginem, veneratur & diligit: perque hanc ad illum sapenti-  
mero incitatur. Vis autem generandi, secunda Venus, formam  
generare huic similem concupiscit. Vtrobique igitur amor est.  
Ibi contemplandæ, hic generandæ pulchritudinis desiderium.  
Amor uterque honestus atque probandus. Uterque enim diui-  
nam imaginem sequitur. Quid igitur in amore Pausanias impro-

bat? Dicam equidem, Si quis generationis autior concupiscit  
nem deserat, aut generationem præter modum cum femine, vel  
contra naturæ ordinem cum masculis prosequatur, aut formam cor-  
poris pulchritudini animi præferat, is utique dignitate amoris abuti-  
tur. Hunc amoris abusum vituperat Pausanias. Quo qui recte  
vitur, corporis quidem formam laudat: sed per illam, excellentio-  
rem animi mentisque & dei speciem cogitat, eamque vehementius admi-  
ratur, & amat. Generationis autem & congressus officio eatenus  
vitur, quatenus naturalis ordo legesque civiles a prudentibus statu-  
ta præscribunt. De his diffusius Pausanias.

EXHORTATIO AD AMOREM.  
De amore simplici ac de mutuo.  
CAP. VIII.

**V**os autem amici hortor & obsecro, ut amorem rem profecto  
diuinam totis viribus complectamini, neque vos illud deter-  
reat quod de amante quodam Platonem dixisse ferunt. Ille, inquit,  
amator animus est proprio in corpore mortuus, in alieno corpore vi-  
uens. Neque vos etiam turbet quod de amara miserique amantium  
forte cecinit Orpheus. Hæc enim quomodo accipienda sunt, &  
qua via his succurrendum, quæso deinde si placet, diligenter atten-  
dite. Amorem Plato rem amarā vocat: nec iniuria, quia mori-  
tur quisquis amat. Hunc & Orpheus *λυυπικρον*, id est, dulce  
amarum nominat. Quippe cum amor mors voluntaria sit. Ut mors  
est, amara res est. Ut voluntaria, dulcis. Moritur autem quisquis  
amat. Eius enim cogitatio, sui oblita semper in amato se versat. Si  
de se non cogitat, in se certe non cogitat. Ideo nec in seipso sic affe-  
ctus animus operatur: cum præcipua operatio animi ipsa cogitatio  
sit. Qui non in se operatur, nec in seipso est. Aequa enim inter sese  
hæc duo, esse, & operatio sunt: nec esse sine operatione est, nec ope-  
ratio esse ipsum excedit: nec operatur quisquam ubi non est: & ubi  
cunque est operatur. Non ergo in se amans est animus: quia in se  
ipso non agit. Si in seipso non est, nec viuunt etiam in seipso: qui  
non viuunt, mortuus est. Quare in se mortuus est quicumque amat.  
Num viuunt saltem in alio? Profecto. Amoris illæ duæ sunt spe-  
cies: amor vnus simplex, mutuuus alter. Simplex amor ubi ama-  
tus non amat amantem. Ibi omnino mortuus est amator: nam nec  
vius in se, ut satis iam demonstrauimus, nec in amato, etiam cum  
ab eo reijciatur. Vbi ergo viuunt? nunquid in aere, vel aqua, vel  
igne, vel terra, aut aliqui bruti corpore? Nequaquam. Animus  
enim humanus, non in alio viuunt corpore quam humano. An forte in  
alio quodam corpore hominis non amati vitam ducit? Nec istud qui-  
dem. Nam si in eo non viuunt ubi viuere vehementissime concupiscit,  
quoniam pacto viuunt in alio? Nusquam ergo viuunt qui amat alium  
ab alio non amatus. Propterea omnino mortuus est non amatus a-  
mator. Nec reuiuiscet inquam nisi indignatio suscitet. Vbi verò a-  
matus in amore respondet, in eo saltem vitam agit amator. Hic cer-  
tè mira res sit: quoties duo aliqui mutua se beneuolentia complectun-  
tur, hic in illo, ille in hoc viuunt. Vicissim huiusmodi homines se com-  
mutant, & seipsum uterque utrique tribuit, ut accipiant alterum.  
Quomodo seipsum tribuant dum sui obliuiscuntur, video. At quomo-  
do accipiant alterum, non intelligo. Nam qui seipsum non habet,  
multo minus alium possidebit. Imò verò habet seipsum uterque, &  
habet alterum. Hic quidem se habet, sed in illo. Ille quoque se possi-  
det, sed in hoc. Equidem dum te amo me amantem, in te de me co-  
gitante me reperio, & me à me ipso negligentia mea perditum in te  
conseruante recupero. Idem in me tu facis. Mirum rursus & hoc  
apparet. Nam ego postquam meipsum amisi, si per te me redimo,  
per te me habeo: si per te habeo, te prius ac magis habeo quam me-  
ipsum: tibi propinquior, quam mihi sum. Quippe cum mihi non  
aliter quam per te medium inhaerescam. In hoc utique vis Cupidi-  
nis à Martis discrepat violentia. Nempe imperium sic, amorque  
differunt. Imperator per se alios possidet, amator per alium se  
complectitur: & uterque amantium longior à seipso, sit propin-  
quior alteri: ac in se mortuus, in alio reuiuiscit. Vna verò dun-  
taxat in amore mutuo mors est, reuiuiscencia duplex. Moritur  
enim qui amat, in seipso semel cum se negligit. Reuiuiscit in a-  
mato statim cum amatus cum ardenti cogitatione complectitur.  
Reuiuiscit iterum, cum in amato se denique recognoscit, & ama-  
tus se esse non dubitat. O felicem mortem, quam duæ vitæ sequun-  
tur. O mirum commercium, quo quis seipsum tradit pro alio, nec  
habet, nec habere se desinit. O inestimabile lucrum, quando  
duo ita vnū sunt, ut quisque duorum pro vno solo, duo fiat:  
& tanquam geminatus qui vnā habuerat vitam vna interue-  
niente morte duas iam habeat. Nam qui semel mortuus bis reuiu-  
iscit, pro vna vita geminam, pro se vno, se duos esse consecutus.

Inuicissima certè est in mutuo amore vindicta. Homicida morte ple-  
ctendus. Quis n. homicidam esse neget qui amatur, cum animam ab  
amante seungat? Quis iterum mori similiter eundem neget, cum  
similiter amet amantem? Debita munus hæc restitutio est: quando  
hic illi, & ille huic reddit animam quam accepit. Vterq; amando  
suam tradit, & redamando per suam restituit alienam. Quapro-  
pter iure ipso amare debet quisquis amatur. Qui verò non amat amā-  
tem, homicidij reus est habendus. Imò verò fur, homicida, sacrile-  
gus. Pecunia à corpore possidetur, corpus ab animo. Qui ergo ani-  
mum arripuerit, à quo tam corpus quam pecuniæ possidentur, ani-  
mum simul corpusq; & pecunias arripit, à quo tam corpus quam pe-  
cuniæ possidentur. Quo fit vt tanquam fur, homicida, sacrilegus,  
triplici morti sit obnoxius: ac velut insanis penitus atq; prophanus  
impune à quolibet interfici possit: nisi ipsemet sponte sua legem illam  
impleat, amet videlicet amatorem. Vbi cum semel moriente, semel  
ipse similiter moritur: cum bis reuiuiscit bis eundem reuiuiscit. Su-  
perioribus rationibus ostensum est, amatum vicissim amatorem ama-  
re debere: non solum verò debere, sed cogi, sic ostenditur. Amorem  
procreat similitudo. Similitudo natura quædam est in pluribus ead-  
dem. Nam si ego tibi similis sum, tu quoque mihi es necessario simi-  
lis. Eadem ergo similitudo, quæ me vt te amem compellit, te quoq;  
amare me cogit. Præterea amator se sibi aufert, deditq; amato.  
Hunc ergo amatus tanquam rem suam curat, charissima enim sua  
eius sunt. Accedit quod amans amati figuram suo sculpsit in ani-  
mo. Fit itaq; amantis animus speculum: in quo amati relucet ima-  
go. Idcirco amatus cum in amante se recognoscit, amare illum  
compellitur. Vicissitudinem amoris inter illos præcipuam esse  
astrologi arbitrantur, in quorum genesi luminum, id est, solis  
& lune commutatio fuerit. Videlicet si me nascente sol in ariete, lu-  
na in libra. Te nascente sol in libra, luna in ariete. Aut quibus si-  
gnum idem similitudine, idemque planeta, similisue ascenderit: aut  
benigni planetæ similiter angulum orientis aperiuerint, aut Venus  
in eadem natiuitatis domo, eodemq; gradu fuerit constituta. Ad-  
dunt Platonici, quorum vitam demon idem, aut certè similis du-  
cat. Physiologi vero moralesq; Complexionis, Nutritionis, Eruditio-  
nis, Consuetudinis, Consilij similitudinem similis affectus causam es-  
se volunt. Denique ubi causæ plures concurrunt, ibi vicissitudo ve-  
hementior reperitur. Vbi omnes, illic Pythia & Damonis, Pyladis  
& Orestis, resurgunt affectus.

#### QUID QUÆRANT AMANTES.

##### CAP. IX.

Cæterum quid isti quærent cum se mutuo diligunt? Pulchritu-  
dinem quærent. Amor enim fruendæ pulchritudinis desiderij  
est. Pulchritudo autem splendor quidam est humanum ad se sapiens  
animus. Nempe corporis pulchritudo nihil aliud est, quam splen-  
dor ipse in colorum linearumq; decore. Animi quoque pulchritudo sil-  
gor in doctrinæ & morum concinnitate. Lucem illam corporis, non  
aures, non olfactus, non gustus, non tactus, sed oculus percipit. Si  
oculus solus agnoscit, solus fruitur. Solus igitur oculus corporis pul-  
chritudine fruitur. Cum verò amor nihil aliud sit, nisi fruendæ pul-  
chritudinis desiderium: hæc autem solis oculis comprehendatur: solo  
affectu amator corporis est contentus. Tangendi verò cupido, non  
amoris pars est, nec amantis affectus, sed petulantia species, & ser-  
uilius hominis perturbatio. Lucem præterea illam & pulchritudinem  
animi sola mente comprehendimus. Quare solo mentis intuitu contē-  
tus est: qui animi pulchritudinem expetit. Pulchritudo denique in-  
ter amantes pro pulchritudine commutatur. Iunioris amati pulchri-  
tudine vir oculus fruitur. Viri pulchritudinem iunior mente consequi-  
tur: & qui solo corpore formosus est, hac consuetudine fit & ani-  
mo speciosus: qui solo animo est decorus, corporis oculus explet cor-  
poris pulchritudine. Mirifica planè commutatio est, vtrique, hone-  
sta, utilis & iucunda. Honesta, siquidem par in vtroque: æquæ  
enim honestum est & discere, & docere. Iucunditas in seniore ma-  
ior, qui aspectu & intelligentia delectatur. In iuniore verò maior  
utilitas quo enim præstantior est animus corpore, eo preciosior est  
pulchritudinis animi, quam corporis consecutio. Pausaniæ hæc tenus,  
nunc Eryximachi orationem interpretemur.

#### ORATIO TERTIA.

AMOR IN OMNIBVS AD OMNIA,  
creator omnium, magister omnium.

##### CAP. I.

Tria nobis deinceps ex nostri Eryximachi mente tractanda vi-  
dentur. Primum quod amor omnibus insitus per cuncta porri-

gitur. Alterum quod omnium quæ secundum naturam sunt operum,  
effector est atque seruator. Tertium quod artium singularum est  
magister & dominus. Tres profectò rerum gradus in natura consi-  
derantur, Superiora, Inferiora, Aequalia. Quæ supra sunt, infe-  
riorum sunt causæ. Quæ infra, superiorum opera. Quæ æqualia,  
eadem inter se natura sunt prædita. Causæ verò opera sua tanquã  
sui partes & imagines diligunt. Opera quinetiam causæ tanquam  
sui conservatrices expetunt. Quæ autem in eo ordine locata sunt, ad  
se se inuicem quasi vnius & eiusdem similia membra mutua charita-  
te afficiuntur. Ideo deus angelos, & angeli cum deo simul animas,  
anima cum illis vna corpora benevolentia quadam regunt atque gu-  
bernant. In quo superiorum ad inferiora dilectio planè conspicitur.  
Rursus corpora animis suis & iunguntur audivissime, & ab eis mo-  
lestissime seunguntur. Animi nostri celestium beatitudinem cupiunt:  
celestes superni numinis maiestatem feliciter venerantur, atque hic  
inferiorum ad superna est amoris affectus. Item omnes ignis par-  
tes libenter inuicem coherescunt. Terra rursus, æquæ, & æ-  
ris partes inuicem: & in qualibet animalium specie, eiusdem  
speciei animalia sese mutua consuetudine semper adiscunt. Vbi  
amor ad æqualia similiaq; conspicitur. Cuiam igitur dubium  
erit, quia amor omnibus ad omnia sit ingentis? Atque id est quod  
Dionysius Areopagita in libro De diuinis nominibus ex Hiero-  
thei mente ijs verbis significauit. Amorem siue diuinum, siue ange-  
licum, siue spiritualem, siue animale, siue naturalem dixerimus,  
insitiam quandam intelligimus commissentemq; virtutem, quæ su-  
periora quidem ad inferiorum prouidentiam mouet: æqualia rursus  
ad socialem sui inuicem communionem conciliat: ac prostromo in-  
feriora quæque admonet, vt ad potiora sublimioraq; conuertantur.  
Hæc ille.

#### AMOR EST AVTIOR omnium & seruator.

##### CAP. II.

Secundum verò illud nostræ orationis membrum, quo amor esse  
effector omnium & seruator est dictus, ita probatur. Cupiditas per  
fectionis propriæ propagandæ amor quidam est. Absoluta perfectio, in  
summa dei est potentia. Eam diuina intelligentia contempletur, at  
que inde voluntas eadem cupit extra se propagare: ex quo propagã-  
di amore creata ab eo sunt omnia. Idcirco Dionysius noster, Diui-  
nus, inquit, amor non permittit regem omnium sine germine in seip-  
so manere. Idem propagationis instinctus omnibus ab illo primo au-  
tore est inditus. Per hunc sancti illius spiritus celos mouent, & se-  
quentibus omnibus sua munera largiuntur. Per hunc sidera lu-  
men suum in elementa diffundunt. Per hunc ignis sui caloris com-  
munionem aerem mouet, aer aquam, aqua terram: ac versa vice  
terra ad se trahit aquam, hæc aerem, ille ignem. Herbe quoque ac  
arbores cupida sui seminis propagandi sui similia gignunt. Anima-  
lia quoque bruta et homines eiusdem cupiditatis illecebri ad procreã-  
dam subolem rapiuntur. Quod si amor omnia facit, seruat etiam om-  
nia. Eiusdem enim semper est affectionis & conseruationis officium.  
Nempe similia similibus conseruantur. Amor autem simile  
ad simile trahit. Terræ partes singulæ amore mutuo copulante, ad  
partes alias terræ sui similes sese conserunt. Tota etiam terra ad  
simile sibi mundi centrum illius auaritate descendit. Aquæ partes  
ad sese inuicem similiter & ad locum sibi conuenientem cum  
toto aquæ corpore perferuntur. Idem partes aeris ignisq; faci-  
ciunt: ac etiam duo hæc elementa ad supernam regionem sibi  
congruam & similem regionis illius amore trahuntur. Cæ-  
lum etiam, vt Plato in libro De regno inquit, innato mouetur amo-  
re. Anima enim cæli tota simul est in quibuslibet cæli punctis. Cæli  
ergo animæ fruendæ cupidum ideo currit, vt per omnes sui partes  
vbique tota anima perferatur. Aduolat autem rapidissime, vt quo-  
ad fieri potest, totum sit simul vbique, vbicumque tota simul est ani-  
ma. Præterea spheræ maioris concava superficies minoris spheræ  
locus est naturalis. Et quia qualibet huius spheræ particula  
æque cum qualibet illius particula conuenit, quælibet omnes appe-  
tit particulas illius attingere. Si quiescat, singulæ tangent singu-  
las, non qualibet cunctas. Currendo ferme assequitur quod as-  
sequi quiescendo non potest. Currit autem velocissime, vt quæ-  
libet pars eodem penè tempore pro viribus cunctas attingat.  
Quinetiam unitate partium suarum cuncta seruantur, dispersio-  
ne partium pereunt. Unitatem verò partium mutuas earundem ef-  
ficat amor. Quod in humoribus nostrorum corporum & mundi  
elementis intueri licet, quorum concordia, vt ait Empedocles Py-  
thagoreus, & mundus & corpus nostrum constat, discordia dis-  
sipatur. Concordiam verò illis paci atque amoris præstat vicissitudo.  
Hinc

Hinc Orpheus *ἄρα τούτων πάντων ἀίμα κρατύνεις, id est, Solum horum omnium tu regis habenas.*

QUOD SIT MAGISTER artium & gubernator.

CAP. III.

**R**estat post haec ut quo pacto magister artium omnium & gubernator sit, exponamus. Magistrum quidem artium esse intelligemus, si modo considerabimus neminem unquam artem aliquam aut inuenire, aut discere posse, nisi investigationis oblectatio, & inueniendi desiderium incitet: & qui docet, discipulos diligit, ac discipuli eam doctrinam avidissime stitiant. Gubernator praeterea merito nominatur. Artis enim opera diligenter exequitur, atque exacte consummat, quicumque & artificia ipsa & personas quibus illa sunt, maxime diligit. Accedit quod artifices in artibus singulis nihil aliud quam amorem inquirunt & curant. Eos in praesentia nos artes breuiter percurramus: quas Eryximachus apud Platonem commemorat. Quid enim aliud Medicina considerat, quam quomodo humores quattuor corporis amici inuicem fiant, atque permaneant? quos cibos ac potus, ceterosque viuendi, aut medendi usus amet natura atque requirit? Duos illos hic quoque amores, Caelestem & vulgarem, quos Pausanias supra distinxerat, per similitudinem quamdam Eryximachus adiuuenit. Temperata enim affectio corporis moderatum, atque ad res moderatas, conuenientesque, habet amorem. In temperata contrarium, & ad contraria continet. Illi quidem indulgendum, huic nunquam obtemperandum, in gymnastica etiam exercitatione inuestigandum, qui corporis habitus, quos exercendi modos, quos gestus amet & postulet. In agricultura, quod solum, quae femina, qualis uel culturarum exigit: quisne colendi modus a singulis arboribus diligitur. Idem in musica obseruatur: cuius artifices, qui numeri, quos numeros aut magis, aut minus diligit, inuestigant. Si inter unum ac duo, atque unum & septem minimum amorem inueniunt. Inter unum uero, tria, quattuor, quinque, sex, amorem uolentem reperiunt. Inter unum & octo uolentissimum. Si uoces acutas, & graues natura diuersas certis interuallis & modulis sibi inuicem magis amicas faciunt. Ex quo harmoniae compositio & suauitas nascitur. Tardiores etiam motus & uelociores ita inuicem temperant, ut amici potissimum fiant, & rhythmum concinnitatemque exhibeant. Musicae autem melodiae genera duo traduntur. Est enim graue quoddam & constans: est & aliud molle atque lasciuum. Illud uentibus uile: hoc noxium & libris De republica & legibus Plato iudicat. Illi in conuiuio Vraniam musam, huic Polynniam profecit. Alij primum illud genus, alij secundum amant. Illorum amori obtemperandum, adhibendi que soni sunt, quos expetunt: horum appetitui obstitendum. Illorum namque amor caelestis est: horum uero uulgaris. Inest syderibus & elementis quattuor amicitia quadam, quam astronomia considerat. In his duo illi quodammodo amores reperiuntur. Est enim his moderatus amor, quando inuicem mutuis uiribus temperatissime consonant. Est & amor immoderatus, quando unum aliquid illorum seipsum amat nimium, alia quodammodo derelinquit. Ex illo aeris grata temperies, aquae tranquillitas, terrarum fertilitas, animalium sanitas: ex hoc contraria proficiuntur. Vatum postremo, Sacerdotumque facultas in hoc potissimum uersari uidetur: ut quae hominum officia deo amica sint, qua ratione homines deo amici fiant, nos doceant: qui amoris, charitatisque, modus ad deum, ad patriam, ad parentes, ad alios tam ad uiuos, quam ad defunctos sit adhibendus. Idem in ceteris artibus coniectari licet, atque summam concludere amorem in omnibus ad omnia esse omnium autorem, seruatoreque existere, & artium uniuersarum dominum magistrum. Hunc merito diuus Orpheus appellauit Solertem, bigenum, omnium clauis habentem. Quomodo enim geminae naturae sit, a Pansanea primum, deinde ab Eryximacho adiuuata. Qua etiam ratione clauis mundi tenere dicatur ab Orpheo, ex superioribus satis comprehendere possumus: quippe sicut ostendimus desiderium hoc perfectionis propriae propagandae cupiditatis ingenium, latentem, implicatam cuiusque sacunditatem explicat dum femina in germen pullulare compellit, & vires cuiusque eius educit sinu, satusque concepit, & quasi clauibus quibusdam conceptus aperiendo producit in lucem: quamobrem omnes mundi partes, quia unius artificis opera sunt, eiusdem machinae membra inter se in essendo & uiuendo similia, mutua quadam charitate sibi inuicem vincuntur, ut merito dici possit amor modus perpetuus, & cupida mundi, partiumque: & eius immobile sustentaculum, ac firmum totius machinae fundamentum.

NULLVM MUNDI MEMBRVM odit aliud membrum. Cap. IIII.

**Q**uod si ita est, nulla operis huius membra inimica esse inter se nullo pacto possunt. Non enim ignis aquam, aqua odio fugit, sed superius amore: ne ab aquae frigore extinguatur. Neque ignem aqua odio ignis extinguit: sed quodam amplificandi proprio frigoris appetitu trahitur ad aquam sibi similem ex ignis corpore procreandam. Nam cum omnis appetitio naturalis ad bonum nullaque ad malum tendat: aqua propositum est, non ignem extinguere, quod est malum: sed aquam sui similem, quod bonum est, generare. Quod si absque ignis interim explere posset, ignem utique non consumeret. Eadem de ceteris quae contraria & inimica videntur, ratio assignatur. Porro agnus lupi uitam, figuramque non odit, sed sui perniciem quae a lupo inferitur, exhorret, neque lupus agni odio, sed amore sui eum lacerat atque denorat. Neque homo hominem, sed uitam hominis horret, neque potentioribus, aut acutioribus dotes suas illorum odio, sed nostri beneuolentia inuidemus, metuentes ne illis penitus succumbamus. Quapropter nihil obstat quin amor in omnibus sit, perque omnia penetret. Hunc igitur tantum deum, quia ubique est, omnium insidet penetralibus, tanquam potentem dominum cuius imperium esse fugere non ualemus, tanquam sapientissimum iudicem quem cogitationes nostra latere non possunt, proculdubio metuamus: hunc quia creator est omnium atque seruator, tanquam patrem ueneremur, tanquam tutorem, praesidiumque colamus: hunc, quia artes singulas edocet, tanquam praecceptorem sequamur: quo autore sumus & uiuimus quo seruatore perpetui permanemus: quo praeside & iudice gubernamur: quo praecceptore ad bene beateque uiuendum instruimur, & formamur.

ORATIO QUARTA. NARRATVR TEXTVS PLATONIS de antiqua hominum natura. Cap. I.

**H**is diuis familiaris noster uerbis finem imposuit. Eum Christophorus Landinus uir doctrina excellens, quem potissimum cognouimus nostris temporibus Orphicum Platonemque poetam, sententiam esse in hunc modum, obscuram & implicatam Aristophanis sententiam explicaturus. Quamquam Ioannes Caualcantes sua nos diligentia longis disputationum ambagibus liberauit: Aristophanis tamen sententia uerbis obscurissimis inuoluta enodationem adhuc aliquam lucemque requirit. Est, inquit Aristophanes, amor praeceteris dijs summopere generi humano beneficis, curator & tutor hominum, atque medicus. Oportet primum qualis hominum quondam fuerit natura: quae uel illius passiones animaduertere. Neque enim qualis nunc est, olim erat, sed longe diuersa. Principio tria hominum erant genera: non solum quae nunc duo, mas & femina: uerum etiam tertium quoddam aderat ex utrisque compositum. Praeterea integra erat cuiusque hominis species, atque rotunda, dorsum & latera circulo habens: manus quattuor: & paria manibus crura. Vultus item duos tereti ceruice connexos & omnino consimiles. Masculinum genus sole genitum erat: Femininum terra: Luna promiscuum. Unde elato erant animo robustoque corpore: quare cum dijs pugnare tentabant, & in caelum ascendere. Ideo iupiter singulos in longum secuit: duosque fecit ex uno, instar eorum qui oua in longum capillo secant: atque iterum si fastu in deos insanire uideantur, minatus est eos rursus se similiter pariturum. Postquam natura hominum ita diuisa fuit, quisque sui dimidium cupiebat. Igitur concurrebant, iactisq; circum brachijs sese inuicem complectebantur, redigi in priorem habitum affectantes. propterea fame et torquere defecissent, nisi deus congressus modum imposuisset. Hinc utique mutuis hominibus innatus est amor praeceteris naturae conciliator, amicitiae unum ex duobus efficere, hominumque naturae mederi. Est enim quisque nostrum dimidium hominis ut pote seclus, quemadmodum pisci culi qui psetta et aurata uocantur, scissi ex uno duo efficiuntur. Quae rit autem sui quisque dimidium. Quoties itaque dimidium suum alicui, cuiuscumque sexus audis sit, occurrit, uolentissime concitatur, ardentem inhaeret amore, neque momentum quidem ab illo patitur seungi. Totius itaque rescindi cupiditas, nixus amoris nomen accepit. Quis nos praesenti in tempore summopere iuuat, dum in sui dimidium olim amicitissimum quenque conuocit, & in posterum suum summam inuocit nobis deum pie colentibus in ueterem figuram restituendo, medendosque se nos beatissimos effecturum.

EXPONITVR OPINIO PLATONIS de antiqua hominis figura. Cap. II.

**H**aec Aristophanes & alia narrat per multa, monstris partentisq; similia: sub quibus quasi uelaminibus, quibusdam diuina



diuina mysteria latere putandum. Mos enim erat veterum theologorum sacra ipsorum puraque arcana ne à prophanis & impuris poluerentur figurarum umbraculis tegere. Nos autem quæ in figuris superiorum, & alijs describuntur, singula exactè ad sensum pertinere non arbitramur. Nam Aurelius Augustinus, non omnia, inquit, quæ in figuris finguntur significare aliquid putanda sunt. Multa enim propter illa quæ significant ordinis & connexionis gratia sunt adiuncta. Solo vomere terra præscinditur. Sed ut hoc fieri possit, cetera quoque huic aratri membra iunguntur. Quæ igitur nobis exponenda proponitur hæc summa. Homines quondam tres sexus habebant, Masculinum, Femininum, Promiscuum, Solis, Terra, Lunæque filios. erant & integri. Sed propter superbiam cum deo & quare se vellent, scissi in duo sunt: iterum se superbiunt, bifariam discindendi. Sectione facta, dimidium amore ad dimidium trahitur, ut integritatis restitutio fiat, qua completa beatum genus hominum est futurum. Summa verò nostræ interpretationis erit huiusmodi. Homines, id est, hominum animæ quondam, id est, quando à deo creantur, integræ sunt, duobus sunt exornatæ hominibus, ingenio & infuso: ut ingenio equalia & inferiora, infuso superiora consistere. Deo æquare se voluerunt, ad vnicum lumen ingenitum se reflexerunt. Hic diuise sunt. Splendorem infusum amiserunt, quædo ad solum ingenitum sunt conuerse: statimque in corpora cecidere. Superiores factæ iterum diuidentur: id est si naturali munus confidunt ingenio, lumen illud ingenitum & naturale, quod restitit, quodammodo extinguetur. Tres sexus habebant, Mares sole, Fæminæ terra, Promiscuæ Luna genitæ. Dei fulgorem aliæ secundum fortitudinem, quæ mascula est, aliæ secundum temperantiam, quæ femina, aliæ secundum iustitiam, quæ promiscua, susceperunt. Hæ tres in nobis virtutes aliarum trium quas deus habet, sunt filiæ. Sed in deo tres illæ, Sol, Luna, Terra: in nobis Mas, Fæmina, Promiscuum nuncupantur. Sectione facta dimidium amore ad dimidium trahitur. Animæ iam diuise & immerse corporibus, cum primum ad annos adolescentiæ venerint, naturali & ingenio lumine, quod seruarunt, seu sui quodam dimidio excitantur ad infusum illud diuinumque lumen, olim ipsarum dimidium, quod cadentes amiserunt, studio veritatis recipiendum. Quo recepto iam integræ erunt, & dei visione beatæ. Hoc igitur erit interpretationis nostræ compendium.

HOMO EST IPSA ANIMA,  
& anima est immortalis.

CAP. III.

Corpus cum ex materia constet & quantitate, & ad materiam suscipere, ad quantitatem diuidi solum extendi; pertineat, atque ita susceptio & diuisio passiones sint: consequens est, ut suapte natura passioni tantum sit et corruptioni subiectum. Si qua verò actio corpori competere videatur, non in quantum corpus est agit, sed in quantum illi vis quædam quodammodo incorporea & qualitas inest, ut in ignis mole caliditas, in aquæ materia frigus, in corpore nostro complexio. Ex quibus certè qualitatibus operationes corporum proficiuntur. Non enim quia longus, aut latus, aut profundus est ignis, sed quia calidus, calefacit. Neque qui extensior ignis, calefacit magis, imò propter dispersionem minus, sed qui calidior. Cum igitur virium, & qualitatum beneficio operationes proueniat, ac vires ipsæ & qualitates ex materia & quantitate non consistunt, licet in materia quantitateque sint, sequitur ut pati ad corpus, agere ad aliquid incorporeale pertineat. Vires utique hæc instrumenta quidem sunt operandi. Ipse verò per se nequaquam sufficiens ad operandum, quia non sufficiens ad existendum. Quod enim in alio tacet, sequi ipsum sustentare non potest, ab alio certè dependet. Quo fit, ut qualitate, quia à corpore necessario sustententur, ab aliqua superiori substantia, quæ neque corpus sit, neque in corpore taceat, fiant atque regantur. Huiusmodi anima est, quæ corporibus præsens & insidens ipsa se sustinet & qualitatem unquam complexionis corporibus tribuit, per quæ tanquam instrumenta in corpore, & per corpus varias operationes exercet. Hinc generare, nutrire, augere, currere, stare, sedere, loqui, artis opera fabricare, sentire, intelligere, homo asseritur. Omnia verò hæc anima ipsa facit, ideoque anima erit homo. Si generare, augere, nutrire hominem dicimus, anima tanquam pater & artifex corporis, ipsum gignit, auget, atque nutrit. Si stare, sedere, loqui, anima corporis membra sustinet, stetit et iubat. Si fabricare, currere, anima manus porrigit, & pro arbitrio torquet, pedes agit. Si sentire, anima per sensuum instrumenta, quæ si fenestras, & foramina exteriora corpora percipit. Si intelligere, anima per seipsam sine aliquo corporis instrumento varietatem assequitur. Omnia igitur quæcumque homo facere dicitur, animus ipse facit, corpus patitur. Quapropter homo solus est animus, corpus

autem hominis opus & instrumentum. Eo maxime, quod animus operationem eius potissimum, intelligentiam scilicet, sine nullo corporis instrumento exerceat, cum res per illam incorporales intelligat, per corpus verò sola corporalia cognoscantur. Itaque si animus per se agit quicquam, per se certè est, & vinit. Vinit autem sine corpore quod sine corpore operatur. Si per se est, esse sibi quiddam proprium conuenit corpori, non commune: propterea potest proprium sibi seorsum à corporis mole sortiri hominis cognomentum. Quod sane nomen quia de vnoquoque nostrum per omnem vitam dicitur, quisque in omni ætate vocatur homo, ideo aliquid significare videtur quod stabile permanet. Corpus ingitit fluit, crescendo, decrecendo, resolutione continua, liquefactione, calore vicissim, & frigore permutat. Anima semper eadem permanet, quod liquido nobis ostendit veritatis inquisitio, bonique voluntas semper eadem, & firma memoria conseruatio. Quis ergo usque adeo demens erit, ut hominis appellationem in nobis firmissimam corpori fluenti semper & vniuersum permutato potius, quam animo stabilissimo tribuat? Ex his perspicuum esse potest, cum homines Aristophanes nominauit, more Platónico animas nostras significasse.

QUOD ANIMA EST DVOBVS  
ornata luminibus, & quare in corpus descendit creatio animæ cum  
duobus luminibus.

CAP. IIII.

Porro anima statim ex deo nata naturali quodam instinctu in deum parentem suum conuertitur, quemadmodum ignis in terra superiorum vi genitum confestim naturæ impetu ad superiora dirigitur, conuersa in eum eius radijs illustratur. Sed primus hic fulgor in animæ substantia per se prius informi receptus, sit obscurior, atque ad illius tractus capacitatem proprius ipsi & naturalis emanat. ideoque per eum ut pote sibi æqualem, sensum & quæ infra se sunt, id est, corpora omnia anima videt quidem: Deum verò & alia superiora non videt. Sed enim per primam hanc scintillam deo facta propinquior aliud iterum clarius accipit lumen, quo etiam superna cognoscit. Lumen igitur habet geminum: Naturale alterum, siue ingenitum: Diuinum alterum & infusum: quibus vnâ coniunctis cum duabus alijs per sublimem peruolare valeat regionem. Ac si diuino illo semper vteretur, semper diuinis hæreret: Terra rationalibus esset animalibus vacua. Ceterum diuina prouidentia decretum est, ut anima siuispissis sit domina, postquam tum vitroque simul lumine vii, tum altero. Hinc fit ut natura duce ad proprium sui lumen conuersa prætermisso diuino seipsam viresque suas quæ ad fabricam corporis spectant, animaduertat: cupiatque vires huiusmodi in fabricandis corporibus exequi. Hac ut aiunt, cupiditate grauata, descendit in corpus: ubi generandi, mouendi & sentiendi vires exercet: suæque præsentia terram infimam mundi sedem exornat: quæ ideo ratione carere non debuit, nequa pars mundi esset rationalium inuentium præsentia destituta: quemadmodum & illius autor ad cuius similitudinem mundus factus est, totus est ratio. Cecidit autem animus noster in corpus, cum prætermisso diuino, solo suo usus est lumine: ac seipso cepit esse contentus. Solum deus cui deest nihil, supra quem nihil, seipso contentus permanet, sibi sufficiens. quapropter deo se parem fecit tunc animus, cum se solo noluit esse contentus, quasi non minus quam deus sibi ipse sufficeret.

QUOT VIIS ANIMA AD  
deum redit. Cap. V.

HANC planè superbiam causam fuisse Aristophanes ait, ut animus qui natus est integer, secaretur, id est, ex geminis luminibus altero posthac vteretur, alterum verò negligeret. Hic in corporis barathrum seu lethæum flumen immersus, suum quemet ad tempus oblitus, sensibus & libidine, quasi satellitibus & tyranno raptatur. Verum adulto corpore, purgatus sensuum instrumentis conferente doctrina pabulum, respicit: ubi naturalis emicat fulgor, naturaliumque rerum ordinem indagat: qua inuestigatione architectum ingentis huius machinæ aliquem esse persentit: eum & videre cupit & possidere: ille solo diuino splendore conspicitur. Ideo mens propriæ lucis indagare ad diuinam lucem recuperandam vehementissimè instigatur. Instigatio verò, appetitioque huiusmodi verus est amor: quo duce dimidium hominis alterum, alterum eiusdem dimidium concupiscit, quia naturale lumen, quod animi dimidium est, lumen illud diuinum quod alterum eiusdem dimidium dicitur, olim neglectum accendere

tur in animo nititur: atque id est, quod in Epistola ad Dionysium inquit Plato, Humanus animus affectat qualia diuina sunt intelligere, aspiciens in ea, quae sibi cognata sunt. Verum cum Deus lucem suam infundit in animum, ad id potissimum eam accommodat, ut homines ad beatitudinem, quae in ipsius possessione consistit, perduceret. Ad hanc quattuor uirtutibus perducitur, Prudentia, Fortitudo, Iustitia, Temperantia. Prudentia primo beatitudinem nobis ostendit. Tres illae uirtutes reliquae, quasi uiae tres ad beatitudinem ducunt. Scintillam itaque suam in uarijs animis deus ad finem huiusmodi uarie temperat: ita ut prudentia duce, alij per fortitudinem, alij per iustitiam, alij per temperantiam officia suam repetant autorem. Nempe alij huius muneris gratia, pro dei cultu, pro honesto, pro patria pericula mortemque forti animo subeunt. Alij sic uitam iuste institunt, ut nec iniuriam cuiquam inferant, neque inferri pro uiribus sinant. Alij uigilia, inedia, labore libidines domant. Hi tribus quidem procedunt callibus: sed ad eundem beatitudinis finem prudentia hunc illis monstrante peruenire conantur. proinde tres haec uirtutes in dei quoque ipsius prudentia continentur. Harum desiderio accensi hominum animi per earum officia ad eas cupiunt peruenire: illis haerere, perpetuoque potiri. Fortitudinem hominum masculam robur & audaciam nuncupamus. Temperantiam feminam propter remissum quendam & frigidorem desiderij habitum, mitique ingenium. Iustitiam promiscuam: feminam quidem prout innocentia sua iniuriam infert nemini: masculam uero prout alij inferri non sinit, & se ueriori censura in homines iniquos animaduertit. Quia uero maris dare, feminam accipere proprium est, iccirco solem qui lumen à nullo accipiens exhibet omnibus, mare uocamus: Lunam quae accipiens à sole dat elementis, à dando & accipiendo promiscuam: Terram cum accipiat quidem ab omnibus, tribuat nulli, feminam nuncupamus. Quamobrem, Sol, Luna, Terra, Fortitudo, Iustitia, Temperantia merito maris, promiscui, feminam signatur cognomine: atque, ut excellentiorem deo appellationem exhibeamus has uirtutes in illo, Solem, Lunam, Terram: in nobis masculinum sexum dicimus, promiscuum, femininum. Quibus autem lux illa diuina à dei sole cum fortitudinis affectu in sui ortu fuit infusa, his masculam dicimus lucem fuisse concessam. Quibus à dei luna cum affectu iustitiae, promiscuam. Quibus à dei terra cum affectu temperantiae, feminam. Lucem illam infusam, atque diuinam statim ad naturalem reflexi negleximus. Altera ergo posthabita seruauimus alteram: ubi dimidium nostri tenemus, dimidium praetermissimus. Certò uero etatis tempore à naturali lumine ducti diuinum affectamus quidem omnes, sed diuerso modo diuersi ad eius adeptio nem procedimus. per fortitudinem, qui à dei fortitudine illud olim cum affectu fortitudinis acceperunt: per iustitiam alij, temperantiam uel similit. Denique suum illud dimidium quisque ut acceperat querit. Et alij per masculam quidem dei lucem amissam olim, iam recuperatam, dei uolunt mascula fortitudine perfrui: alij per promiscuam lucem similit uirtute promiscua: alij per feminam eodem pacto. Munus profectò tantum hi consequuntur, qui postquam adulta etate scintilla in ipsis naturalis eluxit, eam non esse ad diuina indicanda sufficientem existimant, ne scintillae naturalis iudicio, aut animarum aut corporum affectus diuinae tribuant maiestati, putentque illam non esse corporibus animisue praestantio rem. In quo sane plerique errasse traduntur: qui in diuinorum inuestigatione ingenio naturali confisi, aut deum non esse dixerunt, ut Diagoras: aut dubitauerunt, ut Protagoras: aut corpus indicauerunt: ut Epicurei, Stoici, Cyrenaei, alijque permulti: aut animam quandam, ut Marcus Varro, Marcus Manilius, alijque nonnulli. Hi tanquam impij non modo diuinum lumen olim neglectum non recuperauerunt, sed & naturale propter eius ab usum deprauauerunt: quod deprauatum est fractum non iniuria scissumque putatur. Ideo illorum animi, qui tanquam superbi & fastu tumidi suis confidunt uiribus, secantur, ut ait Aristophanes, iterum: cum etiam naturale lumen, quod illis erat reliquum, opinionibus falsis obscurant, & moribus iniquis extinguunt. Itaque naturali lumine rectè utuntur, quicumque mancum illud, & mutilatum esse recognoscunt ad naturalia iudicanda satisfacere quodammodo arbitrantur: ad ea uero, quae supra naturam sunt, sublimiori lumine esse putantes excellentissima quadam animi purgatione ita se preparant, ut diuina lux iterum illis effulgeat: cuius radijs rectè de deo sentient, & in primam illam integritatem restituentur.

AMOR ANIMAS REDVCIT IN COELVM,  
Beatitudinis distribuit gradus, gau  
dium largitur aeternum.

C A P. V. I.

H VNC uos conuiuia praestantissimi deum, quem praeter ceteris dijs generi humano beneficium esse Aristophanes ait, omni sacrificiorum genere uobis propitium facite: hunc pijs precibus inuocate, hunc toto corde capefite. Hic animos sua beneficentia primum ad caelestem ducit mensam: ambrosia & neclare abundantem: deinde singulos singulis accommodat sedibus: postremo suauiter detinet in aeternum. Nulli enim caelum reptunt, nisi qui caelorum regi placuerint: placent illi, qui eum summopere diligunt. Cognoscere quidem illum uerè, omnino praesenti in tempore impossibile est. Verè autem amare quoquomodo cognitum, & possibile est, & facile. Qui deum cognoscunt, nondum illi placent, nisi cognitum diligant: qui cognoscunt diligunt, non quia cognoscunt, sed quia qui diligunt, amantur à deo. Nos enim non eos qui nouerint, sed qui nos amauerint, charitate complectimur. Multos namque qui nos cognoscunt, hostes habemus. Quod ergo nos caelo restituit, non dei cognitio est, sed amor. Discumbentium praeterea ordo in mensa caelesti diuersos sequitur gradus amantium. Nam qui deum excellentius dilexerunt, dapibus excellentioribus ibi uescuntur. Nempe qui per opera fortitudinis dei fortitudinem coluerunt ea, ipsa fruuntur. Qui iustitia uero, iustitia: temperantia similit, qui temperantiam: atque ita uarijs diuinae mentis ideis & rationibus uarij animi pro uario amoris raptu fruuntur. Toto autem Deo fruuntur omnes, quia totus in singulis est ideis. Sed deum totum praestantius possident, qui eum in praestantiori idea conspiciunt. Quis que uero ea dei uirtute potitur, quam dilexit. Ideo liuor, ut Plato inquit in Phaedro, abest à diuino choro. Cum enim omnium iucundissimum sit, re amata potiri: quilibet in eo potiundo quod amat contentus plenusque uiuat. Quippe si amatores duo deliciarum suarum compotes fiant, uterque in amata sui possessione quiescit: neque curam quidem ullam habebit, ni alter pulchriori potiatum amato. Quapropter amoris beneficio factum est, ut in diuersis felicitatis gradibus portione sua quilibet sine ulla inuidia sit contentus. Fit etiam ut sine ulla satietate animi iisdem uescantur dapibus in aeternum. Ut enim oblectentur conuiuia, non epulae, non una sufficiunt, nisi fames, sitisque ad uescendum alliciant: ac tandiu oblectatio, quandiu & auditas permanet. Audiatem uero quis amorem quandam esse negauerit? Aeternus igitur amor quo semper in deum afficitur animus, efficit ut deo semper tanquam nouo spectaculo gaudeat. Amore hunc eadem dei bonitas semper accendit in animo: quae & beatum facit amantem. Tria igitur, ut breuiter complectar, amoris beneficia collaudabimus, quod nos olim diuinos in integrum restituendo, reducit in caelum: quod suis quaeque collocat sedibus, facitque omnes in illa distributione quietos: quod omni expulso fastidio suo quodam ardore oblectamentum quasi nouum inuenter accendit in animo, redditque illum blanda & dulci fruitione beatum.

ORATIO QUINTA.

AMOR EST BEATISSIMVS,  
quia pulcher est & bonus.

C A P. I.

C AROLVS Marsupinus, musarum dulcis alumnus, Landinum poetam secutus, Agathonis orationem sic aggreditur. Amorem deum noster Agatho beatissimum, quia pulcherrimus sit & optimus, arbitrat. Quae ad hoc ut sit pulcherrimus, quae item ut optimus, exiguuntur, diligenter enumerat: in quibus enumerandis amorem ipsum effingit. Postremo postquam qualis est enarrauit, beneficia ab eo generi humano tributa communerat. atque haec dissertationis illius est summa. Nostra interest in primis inquirere, quam ob causam ut beatum ostenderet, pulchrum ualde esse dixit & bonum: quòd uel sit inter bonitatem, pulchritudinemque discrimen. Beatum in Philebo Plato uult esse, cui nihil deest: idque esse illud quod sit ab omni parte perfectum. Est autem perfectio interior quaedam, est & exterior. Interiorem, bonitatem: exteriorem, pulchritudinem dicimus. Propterea quòd bonum penitus est & pulchrum id tantum quam ab omni parte perfectum, beatissimum nuncupamus. Hanc utique differentiam omnibus in rebus animaduertimus. Nempe in lapillis, ut physici uolunt, temperatissima quattuor elementorum permixtio quaedam interior, nitorem parit exteriorem. Herbas praeterea & arbores innata radicibus medullisque fecunditas, florum & foliorum gratissima uestit uarietate. In animalibus autem salubris humorum complexio iucundam lineamentorum & colorum speciem procreat. Virtus etiam animi decorem quandam praeseferre uidetur in uerbis, gestibus, operibus, honestissimum. Caelos quoque sublimis

sublimis eorum substantia clarissimo lumine circumfundit. In his omnibus interna perfectio producit externam. Illam bonitatem, hanc pulchritudinem possumus appellare. Quocirca bonitatis florem quendam esse pulchritudinem volumus: cuius floris illecebris, quasi escam quadam, latens interius bonitas allicit intuentes. Quoniam vero nostrae mentis cognitio à sensibus ducit originem, bonitatem ipsam in rerum penetralibus instam nec intelligeremus nunquam, neque appetere remus, nisi ad eam speciei exterioris indicij manifestis prouehere mur. Quae in re mirabilis admodum formae huius, comitisque ipsius apparet uilitas. Per haec satis ostensum arbitror, tantum inter bonitatem & speciem, quantum inter semen & flosculum interesse: atque ut flores arborum seminibus orti semina ipsi quoque producant: ita speciem hanc bonitatis florem ut ex bono pullulat, sic & ad boni amantes perducere: quod quidem noster hic heros abunde in superioribus demonstrauit.

QUOMODO PINGITUR AMOR, ET VI-  
bus animae partibus pulchritudo cognoscitur,  
& generatur amor. Cap. I I.

POST haec diffusius enumerat Agatho quot ad eius dei formosam speciem requiruntur. Iuuenis inquit est, tener, agilis, concinnus, & nitidus. Nobis autem primo querendum quid haec ad pulchritudinem conferant. Deinde cum deo huic attribuantur, quo pacto intelligi debeant. Rationem homines habent & sensum. Ratio per seipsam rationes rerum omnium incorporeas comprehendit. Sensus per quinque sui corporis instrumenta corporum imagines & qualitates attingit: Colores per oculos, per aures voces. Odores per nares, per linguam sapes, per nervos qualitates simplices elementorum, calorem uidelicet, frigusque & reliqua. Propterea sex ad cognitionem pertinentes, quantum ad propositam attinet quæstionem, vires animi numerantur: Ratio, Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, & Tactus. Ratio numini summo, Visus igni, Aëri auditus, vaporum odori Olfactus, aquae Gustus, Tactus terrae tribuitur. Ratio siquidem celestia indagat, nec propriam in membro corporis aliquo sedem habet: quemadmodum neque certam habet sedem in ulla mundi parte diuinitas. Visus in sublimi parte corporis velut ignis in suprema mundi regione locatur, & lumen naturae sua percipit, quod ignis est proprium. Auditus visum non aliter quam purus aer ignem secutus voces haurit: quæ & in aere fracto gignuntur, & per aeris interuallum aures illabuntur. Olfactus caliginoso aeri, vaporibusque ex aere & aqua mixtis omnino assignatur: quia inter aures & linguam, quasi aerem & aquam, positus, vapores eos apprehendit facile, & diligit maxime, qui ex aeris & aquae mixtione proueniunt: quales sunt herbarum, florum, pomorum odores, naribus suauissimi. Quis dubitet gustum aquae liquoribus comparare: qui olfactui tanquam aere crassiori succedit, & iungi saluæ liquore perfusus, potu vehementissimè delectatur, humidusque saporibus? Quis item ambigat terrae tactum ascribere: cum per omnes terreni corporis partes fiat: in neruis qui terreni maxime sunt, expleatur: facillimè tangit quæ soliditatem habent & pondus, quod terra corporibus tribuit? Hinc etiam accidit ut tactus, gustus, olfactus, solum proximè ipsis apposta sentiant, & patiantur admodum sentiendo? licet olfactus remotiora, quam gustus & tactus apprehendere videatur. Auditus autem remotiora cognoscit, neque ita offenditur. Quo etiam longius prospicit visus: & momento facit, quod aures tempore: prius enim coruscatio cernitur, quam tonitrus audiatur. Ratio remotissima capit: neque enim quæ in mundo sunt solum, & quæ presentia, ut sensus: sed etiam quæ supra cælum, & quæ fuerunt aut futura sunt, percipit. Ex his patere cuique potest, sex illarum animæ virium, tres ad corpus & materiam potius, Tactum scilicet & Gustum, & Odoratum: tres autem alias, Rationem uidelicet & Visum & Audium ad spiritum pertinere. Ideo tres illæ ad corpus potius declinantes corpori magis quam animo congruunt. & ea quæ ab illis percipiuntur, cum corpus sibi congruum moueant, vix ad animam vsque perueniunt, minimeque illi tanquam minime similia placent. Tres verò superiores à materia remotissima, animæ multò magis conueniunt: resque eas capiunt, quæ corpus quidem parum admodum, animam verò vehementissimè moueant. Quippe Odores, Sapes, Calor, atque similia, corpori aut nocent plurimum, aut profunt, paulum quid ad animi aut admirationem, aut iudicium conferunt, ac modicè ab illo desiderantur. Ratio incorporeæ veritatis, colores, figuræque & voces, corpus aut nihil, aut vix & minimum mouent: Animi verò aciem ad indagandum potissimum acunt: atque eius ad se desiderium rapiunt. Animi cibus est veritas. Ad

eam inueniendam oculi, ad discendam aures magnopere conferunt. Igitur quæ ad rationem, visum, auditum pertinent, gratia supplicis affectat, quasi proprium alimentum. Quæ verò sensus tres alios mouent, corpori vel nutriendo, vel fouendo, vel generando magis necessaria sunt. Ea itaque animus, non sui, sed alterius, id est, corporis causa querit. Amare autem ea dicimur, quæ propter nosmetipsos desideramus. quæ autem propter aliud quiddam cupimus, minime. Meritò igitur amorem ad scientias, figuras, & voces duntaxat volumus pertinere: atque iccirco gratia illa solum, quæ in tribus his reperitur, animi virtute, figura voce: quia maxime animum prouocat, ἀπό τοῦ καλεῖν, quod voco significat, προελαύει, id est prouocatio nominatur, καλλῶ verò Græcè pulchritudinem Latine significat. Gratus quidem nobis est mos verus & optimus animi: grata corporis speciosi figuræ grata vocum conuinitas: cumque tria hæc animus, utpote sibi cognata, & quodammodo incorporea plurimè admodum quam tria reliqua faciat, consentaneum est, ut audisus asciscat, ardentius complectatur, vehementius admiretur. atque hæc ipsa, seu virtutis, seu figuræ, seu vocum gratia, quæ animum per rationem vel visum vel auditum ad se vocat, & rapit, pulchritudo rectissime dicitur. Atque hæc tres illæ gratiæ sunt, de quibus sic Orpheus, ἀλλὰ τὴν δέξασθαι καὶ ἄποδιδόναι ποταμόν. Splendor, viriditas, lætitiæque verberma. Splendorem quidem vocat gratiam illam & pulchritudinem animi, quæ in veritatis & virtutis claritate consistit. Viriditas verò, figuræ, colorisque suauitatem. hæc enim summopere in inuentutis viriditate florescit. Lætitiæ demique sincerum illud & salubre, & perpetuum, quod in musica sentimus, oblectamentum.

PULCHRITUDO EST  
aliquid incorporeum.

CAP. III.

UM hæc ita se habeant, necessarium est pulchritudinem esse aliquid virtuti, figuræ, vocibusque commune. Non enim quodlibet istorum trium pulchrum similiter vocaremus, nisi una his tribus inesset pulchritudinis definitio. Quo sit ut ipsa pulchritudinis ratio corpus esse non possit: quoniam virtutibus animi quæ incorporeæ sunt, pulchritudo si esset corporea, minime conueniret. Atqui tantum abest ut corpus sit pulchritudo, ut non modò quæ virtutibus animi, sed etiam quæ corporibus, & vocibus inest, nequeat esse corporea. Quamuis enim corpora quædam speciosa dicantur, non tamen sunt ex ipsa sui materia speciosa. Siquidem corpus hominis unum atque idem hodie formosum, cras autem casu aliquo sedante deforme, quasi aliud sit esse corpus, aliud esse formosum. Neque etiam sunt ex ipsa quantitate formosa: quandoquidem grandia nonnulla atque item breuia quædam formosa videntur: ac sepe magna deforma, parua formosa: & contra parua turpia, magna gratissima. Nonnunquam etiam accidit, ut similitudo sit in magnis quibusdam, & paruis corporibus pulchritudo. Si itaque stante sepe numero eadem quantitate caso quodam pulchritudo mutatur, & mutata aliquando quantitate permanet pulchritudo, ac similis in magnis paruisque videtur, certè duo hæc pulchritudo, & quantitas debent esse omnino diuersa. Quinetiam si corporis cuiusque formositas in ea ipsa sui corporis crassitudine quodammodo corporea esset, non tamen ut corporalis esset, inuenti placet. Placet animo personæ alicuius species, non prout in exteriori iacet materia, sed prout eius imago per visum ab animo capitur vel concipitur. Imago illa in visus & animo, cum isti sint incorporei, corpus esse non potest. Quo enim pacto cælum, ut ita loquar, totum parua oculi pupilla caperetur, si modò corporali reciperet? Nullo profecto. Sed enim spiritus in puncto omnem corporis amplitudinem spirituali modò & incorporea imagine suscipit. placet utique animo ea duntaxat species, quæ ab illo suscipitur. Hæc autem licet exterioris corporis simulacrum sit in eo, tamen est incorporea. Ergo species incorporea placet. Quod placet, id cuique gratum: quod gratum, hoc denique pulchrum, quo efficitur ut amor ad incorporeum aliquid referatur: atque ipsa pulchritudo spirituale quoddam potius rei simulacrum sit, quam corporea species. Sunt autem nonnulli qui certam membrorum omnium positionem, siue, ut eorum verbis utamur, commensurationem & proportionem cum quædam colorum suauitate, esse pulchritudinem opinentur. Quorum nos opinionem propterea non admittimus, quia cum huiusmodi partium dispositione in solis sit rebus compositis, nulla essent simplicia speciosa. Nunc autem puros colores, lumina, vocem unam, fulgorem auri, & argenti candorem, scientiam, animam, quæ omnia simplicia sunt, pulchra

pulchra vocamus: nosq; ista mirifice tanquam reuera sint pulchra delectant. Accedit ad hæc quod proportio illa cuncta includit corporis composita membra, neque est in singulis, sed in cunctis. Singula itaque membra per se pulchra non erunt. Ex singulis autem particulis totius compositi proportio nascitur. Vnde non nihil sequitur absurdissimum: ut quæ suapte natura speciosa non sunt, pulchritudinem pariant. Sæpenumero etiam accidit, ut manente eadem membrorum proportione, atque mensura, corpus æquè ut antè non placeat. Eadem porrò hodie, quæ antè superiori corporis vestri figura, gratia verò non eadem. Nihil tardius quam figura, nihil citius senescit quam gratia. Ex quo liquido constat, non idem esse pulchritudinem & figuram. Sæpe quoque videmus reæliorem in vno quodam quam in alio dispositionem partium mensuramq; membrorum: alius tamen, nescimus quia de causa, nobis formosior indicatus amatur ardentius. quo satis admoneri videmur, ut aliud quiddam formositatem, quam dispositionem partium conseruamus. Eadem nos ratione admonet ne formam suscipimus esse colorum suauitatem. Plerumque enim color in seniore clarior: in iuniore gratia maior. Et in æquatibus sit nonnunquam, ut qui colore superat alterum, gratia tamen ab illo & pulchritudine superetur. Neque tamen audeat quisquam mixtionem quandam ex figura coloribusque, pulchritudinem affirmare. Sic enim neque scientia, neque voces quæ colore & figura carent, neque colores & lumina quæ certam nubam figuram habent, amore digna iudicantur. Prætereà cuiusque cupiditas, eo habito quod volebat, expletur. Nempè fames & sitis, cibo potuq; sedantur: amor nullo impletur aspectu corporis vel amplexu. Nullam igitur naturam corporis aridet: pulchritudinem cerè seclatur. Quo fit, ut ea corporum aliquid esse non possit. Ex omnibus his colligitur, eos qui amore accense pulchritudinem sitiunt, se modo velint liquore hoc hausto ardentissimam sitim extinguere, alibi quam in materia stuuio, aut quantitatis aut figuræ, aut colorum quorumlibet riuis, dulcissimum pulchritudinis huius humorem, quo sitis eorum accenditur, quæ erere oportere. Quò vos tandem miseri vertetis amantest? Quis vestri cordis flammam extinguet acerrimas? Quis tantum sedabit incendium? Hoc opus, hic labor. Dicam protinus. Sed attendite.

PULCHRITUDO EST  
splendor diuini vultus.

CAP. IIII.

Diuina potestas omnia supereminens statim à se natis angelis, atque animis suum illum radium in quo sacunda vis inest omnium creatorum, tanquam filijs elementis infundit. Hic in eis respicit sibi propinquioribus totius mundi dispositionem, & ordinem multo pingit exactius, quam in mundi materia. Quamobrem hæc mundi pictura quam cernimus vniuersa, in angelis & animis lucet expressior. In illis enim sphaera cuiusque figura, solis, lune, & siderum reliquorum, elementorum quoque, lapidum, arborum, animalium singulorum. Pictura huiusmodi in angelis excellens & ideæ: in animis rationes, & notiones: in orbis materia, formæ atq; imagines à Platonicis nominantur: claræ quidem in orbe clariores in animo: in angeli mente clarissime. Vnus igitur dei vultus tribus demceps per ordinem positus lucet in speculis, Angelo, Animo, Corpore mundi: In illo tanquam propinquiore clarissime: in hoc remotiore obscurius: in hoc remotissimo, si ad cætera compareres, obscurissime. Promde sancta mens angeli nullo impedita corporis ministerio in seipsam reflectitur, vbi dei vultum illum sinu suo insculptum introspicit: in speculum illico admiratur: auidissime illi semper inhaeret. Vultus illius diuini gratiam, pulchritudinem dicimus. Auiditatem angeli, dei vultui penitus inhaerentem, vocamus amorem. O vtinam nobis idem contingeret. Sed enim animus noster ea conditione genitus, ut terreno corpore circumdatur, ad officium generandi declinat. Quæ inclinatione grauatus thesaurum penetralibus suis absconditum negligit. Deinde terreno corpore inuolutus diutissime seruit corporis vsui: ad hoc opus sensum quidem semper, rationem quoque diutius quam decet, accommodat. Hinc efficitur ut diuini vultus illius candorem in se perpetuo emittentem, non prius animaduertat, quam adulto iam corpore, & ratione expergescens dei vultum in dei machina resurgentem, & oculis manifestum cogitatione consideret. Quæ quidem consideratione prouehitur ad eum qui intus emicat, intuentium. Quoniam verò parentis vultus gratus est filijs, necesse est animis dei patris vultum esse gratissimum. Vultus huius, ut ad eum sepius repetam, minor, & gratia, siue in angelo, siue in animo, siue in mundi materia, pulchritudo vniuersa

lis est appellanda: impetusq; ad illam vniuersalis dicendus est amor. Vbiq; incorpoream esse hanc pulchritudinem non ambigimus. In angelo enim & in animo eam corpus aliquid non esse nemini dubium. In corporibus etiam eam esse incorpoream, & supra monstrauimus, & ad præsens ex eo potissimum intelligimus, quod oculus nil aliud, nisi solis afficit lumen. Figura namque, & colores corporum nunquam nisi lumine illustrata perspicuntur, neque ipsa cum materia sua ad oculos veniunt, Necessarium tamen esse videtur ea in oculis esse, ut ab oculis videantur. Vnum itaque solis lumen corporum omnium ab eo illustratorum coloribus figurisq; depictum sese oculis offert. Sic affectum lumen oculi suo quodam radio adiuuante percipiunt: perceptum ipsum, & quæ in eo sunt omnia vident. Quare totus hic mundi qui constituitur ordo, non eo modo quo in materia corporum, sed quo in luce oculis infusa est, cernitur. In ea luce cum à materia secretus sit, necessario est corporis expertus. Quod ex hoc etiam euidenter apparet, quod lumen ipsum corpus esse non potest, cum momento ab oriente in occidentem totum ferme impleat orbem: aeris & aquæ corpus sine ulla offensione vndique penetret: sordibusq; immixtum nusquam insiciatur. Hæc verò corporum natura nullo modo conueniant. Corpus siquidem non momento mouetur, sed tempore: neque alterum absque sui, vel alterius, aut vtriusque offensione penetrat alterum: ac duo inuicem corpora mixta mutua se contagione insiciunt. Quod in aquæ & in vini, ignis & terræ confusione consicimus. Cum igitur solis lumen incorporeum sit, quicquid suscipit, naturæ suæ suscipit modò. Propterea colores, & figuræ corporum modo suscipit spiritali: eodemq; pacto ipsum ab oculis susceptum insicitur. Quo factum est, ut totus hic mundi decor, qui tertius est dei vultus, per incorpoream solis lucem incorporeum sese oculis offerat.

QUOMODO NASCITUR AMOR ET  
odiu, quòdque pulchritudo est incorporea.

CAP. V.

EX his omnibus sequitur, ut omnis diuini vultus gratia, quæ vniuersalis dicitur pulchritudo: non in angelo solum, & animo incorporea sit: sed in aspectu etiam oculorum. Neque faciem hanc simul totam solummodo, verum etiam partes eius admiratione commoti diligimus. Vbi particularis amor ad particularem pulchritudinem nascitur. Sic & ad hominem aliquem ordinis mundi membrum afficimur: præsertim cum in illo perspicuè diuini decoris sentilla resulget. Affectus huiusmodi duabus ex causis nascitur: tum quia paterni vultus nobis placet imago: tum etiam quia hominis aptè compositi species, & figura, cum ea humani generis ratione, quam animus noster ab omnium autore suscipit, & retinet, aptissime congruit. Vnde hominis exterioris imago persensus accepta, transiensque in animum, si hominis figuræ quam possidet animus, dissonat, eustigio displicet, & odio tanquam deformis habetur. Si consonat, illico placet, & tanquam formosa diligitur. Quo fit, ut nonnulli nobis obuij continuo placeant, vel displiceant: nosque affectus huiusmodi causam nesciamus. Quippe cum animus corporis ministerio impeditus intimas illas suas formas nequaquam respiciat. Verum naturali, & occulta quadam incongruitate, vel congruitate fit, ut forma rei exterior imagine sua eiusdem rei formam in animo pictam pulsans dissonet aut consonet, atque occulta hæc offensione vel blanditie motus animus, rem ipsam aut oderit, aut amet. Integram sanè creandi hominis configurationem vis illa diuina, in angelo animò que ingenuit: in mundi verò materia, ut potè ab illo opifice remotissima, hominis constitutio ab integra illa sui figuræ degenerat. In materia tamen melius affecta similior: in alia dissimilior prouenit. Quæ similior prouenit, ut dei vi, angelique ideæ, sic animi rationi quadrat & congruit. Animus hanc probat congruitatem. In ipsa profectò congruitate pulchritudo: in ea probatione, amoris consilium affectus. Quoniam verò ideæ, & ratio sunt à materia corporis aliena, hominis constitutio illum non ex materia, vel quantitate, sed ex aliquo potius incorporeo similis indicatur. Ut similis, illis congruit: ut congruit, pulchra est. Accirco diuersa sunt corpus, & pulchritudo. Quod si quis quaesierit, quoniam pacto corporis forma, animæ mentisque formæ, & rationi similis esse queat: is oro consideret ædificium architecti. Principio architectus ædificij rationem, et quasi ideam animo concipit. Deinde qualem excogitauit domum, talem pro viribus fabricat. Quis negat domum corpus existere: eamque ideæ artificis incorporeæ, ad cuius similitudinem effecta est, esse persimilem? Porro propter incorporealem ordinem quædam potius, quam propter materiam est architecto similis iudi-

eanda. Age igitur materiam subtrahere, si potes: potes autem cogitatione subtrahere: ordinem verò relinque: nil tibi restabit corporis, nihil materiae. Imò verò idem erit penitus, qui ab opifice prouenit ordo, & qui remanet in opifice. Idem in quouis hominis corpore facias. Reperies illius formam animi rationi quadrantem, simplicem esse, materiaeque expertem.

QVOT REQVIRVNTVR  
ut res pulchra sit, & quòd pulchritudo est spiritale donum.

## CAP. VI.

Quid tandem est corporis pulchritudo? Actus viuacitas, & gratia quaedam ideae suae influxu in ipso resurgens. Fulgor huiusmodi in materiam non prius quam aptissime sit preparata, descendit. His verò tribus, ordine, modo, specie, constat viuentis corporis preparatio. Ordo partium intervalla: Modus, quantitatem: Species, lineamenta, coloremque significat. In primis enim oportet ut membra quaeque corporis naturalem situm habeant: suo aures loco sint, oculique, & nares, & cetera: ac paribus intervallis oculi naso sint proximi: paribus nempe aures utraque distent ab oculis. Neque haec intervallorum ad ordinem pertinens paritas sufficit, nisi partium modis accedat, qui mediocrem debita totius corporis proportionem servata, membris singulis tribuat magnitudinem, ut nasi tres in longum dispositi, vultus vnius impleant longitudinem: aurium vtriusque semicirculi vna coniuncti, oris aperti circum faciant. Idem quoque coniunctio superciliorum efficiat. Longitudo nasi, longitudinem labij compleat: aurique, similiter. Gemmi oculorum orbem sequent oris hiatus. Capita octo proceritatem corporis comprehendant. Eandem quoque monstrat brachiorum in latum extensio, crurumque, similiter atque pedum. Necessariam praeterea speciem ducimus, ut linearum attractus artificiosi, rugaeque, & oculorum splendor, ordinem illum modumque partium decorent. Atqui tria haec licet in materia sint, pars vlla corporis esse non possunt. Ordo membrorum, membrum quidem est nullum. Ordo enim membrorum omnibus inest: nullum verò membrum in membris omnibus reperitur. Accedit quòd ordo nihil est aliud quam decens partium intervallum. Intervallum verò, quid aliud dicemus quam distantiam partium? Distantia denique, aut nihil est, & vacuum prorsus inane, ut tractus aliquis linearum. Lineas autem quae latitudinem profunditatemque, careant, corpora non putantur. Speciem quoque in luminum, membrorum, linearum incunda concordia, non in materia collocamus. Ex his omnibus patet pulchritudinem usque adeo esse a mole corporis alienam, ut nunquam ipsi materiae se communicet, nisi tribus illis incorporalibus preparationibus, quas narrauimus, sit affecta. Harum verò fundamentum est elementorum quattuor temporata complexio: ut corpus nostrum caelo, cuius est comparata substantia, sit similitudinem, neque aliquo humorum excessu ab animi formatione desciscat. Sic enim & caelestis fulgor facile lucebit in corpore caelo persimili: & forma hominis illa perfecta, quam habet animus impatam obedientemque materiam, resultabit expressior. Ad pulchritudinem praeterea suam accipiendam, voces ferme similiter disponuntur. Ordo namque illarum est à graui voce ad octauam ascensus, atque inde descensus: Modus, debita per tertias, quartas, & quintas, & sextas voces, tonos item & semitonos, progressio: Species canora clarae vocis intensio. His utique tribus ceu quibusdam elementis corpora ex membris multis composita, & arbores, & animalia, ac vocum plurium congregatio ad suscipiendam pulchritudinem disponuntur. Corpora verò simpliciora, ut elementa quattuor, lapides & metalla, itemque voces singulae, interiori quadam natura suae temperie, fecunditate & claritate, ad eandem sufficienter aptantur. Animus autem eo potissimum ad illam est natura sua accommodatus, quòd & spiritus est, & quasi speculum deo proximum. In quo quemadmodum in superioribus diximus, diuini vultus elucet imago. Igitur quemadmodum auro, ut appareat speciosum, nihil prorsus addendum, sed terrae sordes si quae inhaerent, secernendae: ita nullis adiunctionibus indiget animus, ut formosus appareat, sed deponenda corporis cura, & sollicitudo tam anxiosa, cupiditatis & timoris perturbatio depellenda. confestim naturalis animi species emicabit. Ceterum ne longius digrediat oratio, ex supradictis breuiter concludamus, pulchritudinem esse gratiam quandam viuacem & spiritalem, de radio illustrante angelo primum infusam, inde & animis hominum, corporumque, figuris, &

vocibus, quae per rationem, visum, auditum, animos nostros mouet atque delectat, delectando rapit, rapiendo ardenti inflammat amore.

DE AMORIS PICTURA.  
CAP. VII.

Agatho verò poeta veterum poetarum more deum istum humana vestit imagine, pingitque ipsum hominum instar formosum, inuicem, tenerum, flexibilem suae agilem, apte compositum atque nitidum. Quorsum haec? preparationes haec quidem sunt ad formosam indolem potius quam formositas. Nam ex quinque his partibus tres primae complexionem corporis temperatam, quod primum est fundamentum, significant: duae reliquae ordinem, modum, & speciem indicant. Physiici temperatae corporationis indicium tenerae carnis lenem & firmam aequalitatem demonstrare. Vbi calor excedit nimium, aridum, & hirsutum corpus, ubi frigus, rigidum, ubi secitas, durum & asperum: ubi humiditas, fluxum, lassum, inaequale, contortum: Aequalis igitur, & firma corporis teneritudo, affectionem eius indicat in quattuor humoribus moderatam. Hanc ob causam Agatho mollem, delicatum & tenerum appellauit. Cur iuuenem? Quia non solum naturae, sed etatis etiam beneficio temperies haec habetur. Temporibus enim diuturnitate partibus humorum subtilioribus resolutis partes restant admodum crassiores, igneque & aere exhalato, aquae & terrae regnat excessus. At cur agilem & flexibilem? Ut aptum ad motus omnes promptumque intelligas, ne forte putes cum mollem diceret, aquae molliem, multibrem, languidam, & ineptam dicere vuisse. Ea siquidem est moderata complexionis contraria: Post haec adiecit, Aptè compositum, id est ordine & modo partium honestissime figuratum. Adiecit & nitidum, id est suauis colorum specie resurgentem. Preparatio omnibus his praepositis, quod reliquum erat retulit Agatho. Nostrum est enim post haec aduentum gratiae subintelligere. Haec quinque partes in hominis figura ita ut diximus, in amoris autem potentia aliter intelligendae videntur, eius enim vim & qualitatem ostendunt. Iuuenis ideo dicitur, quia iuuenes ut plurimum amore irretiuntur, etiamque insidijs irretiti etatem appetunt iuuenilem. Molles, quia mitia ingenia facilius capiuntur, & qui capti sunt licet ante feroces mansueti redduntur. Agilis & flexibilis, quia & influit clam, & similiter effluit. Concinnus atque compositus, quoniam formosa & ordinata desiderat, fugitque contraria. Nitidus, quoniam in florida & nitente etate hominis aspirat ingenio, & florida concupiscit. Haec quoniam copiosissime exequitur Agatho, breuiter perstrinxisse sufficiat.

DE AMORIS VIRTUTE.  
CAP. VIII.

Etiam quae de quattuor virtutibus ab Agathone dicuntur ad amoris bonitatem significandam, sic accipienda sunt, ut iustus ideo affirmetur, quia ubi integer ac verus est amor, ibi & benevolentiae vicissitudo, quae nullam admittit contumeliam vel iniuriam. Huius charitatis tanta vis est, ut ea sola humanum genus tranquilla possit in pace seruare, quod neque prudentia, neque fortitudo, neque vis armorum, legum, & eloquentiae sine beneuolentia potest efficere. Vocat praeterea Temperatum, quia turpes domat cupiditates. Amor enim cum pulchritudinem quaerit, quae in ordine quodam, temperantiaque consistit, viles & immoderatas concupiscentias aspernat: à turpibus gestibus semper abhorret: quod à principio satis ab heret audiuisset: atque ubi huius regnat affectus, omnes cupiditates alia contemnuntur. Subiunxit fortissimum. Quid enim audacia fortius? Quis item audentius quam amator pro amato pugnat? Dicit alijs, id est planetis alijs, Mars fortitudine praestat: quia fortioris homines efficit. Venus hunc domat. Quando enim Mars in angulis caeli, vel secunda natiuitatis domo, vel octaua constitutus nascenti mala portendit, Venus sepe coniunctione sua, vel oppositione, vel receptione, aut auspice sextili, aut trino, Martis, ut ita dicamus, compefcit malignitatem. Rursus quando Mars in ortu hominis dominatur, magnitudinem animi iracundiamque largitur. Si proxime Venus accesserit, virtutem illam magni animi à Marte datam non impedit: sed vitium iracundiae reprimat: Vbi clementiorem facere Martem & domare videtur. Mars autem Venerem nunquam domat. Illa siquidem si dux fuerit, amoris praestat affectum. Si Mars proximè duxerit, suo calore Veneris impetum reddit ardentiorem: ita ut si nascente aliquo Mars in Veneris domo, Libra, vel Tauro fuerit, propter Martis praesentiam qui tunc natus est, acerrimis vratur amoribus. Mars iterum sequitur Venerem: Venus Martem non sequitur, quoniam audacia amoris pedissequa est,

est, non amor audacia. Non enim ex eo quod audaces sunt, amore homines illaqueantur: sed ex eo plerumque quod amore sauci sunt, audacissimi fiunt: ad quaeque pericula propter amatum intrepide subeunda. Denique fortitudinis eius omnibus excellentis evidenti-  
mum illud est argumentum, quod amor omnia parent, ille nulli. Nempe caelestes amant, & animalia, & corpora omnia. Fortes item & sapientes. Diuites viri regesque: maximi colla subdunt amoris imperio. Amor autem nullis istorum subicitur. Neque enim diuitum munera amorem emunt, neque potentum minae violentiaeque: ut anemus, vel desistamus amare, nos cogere possunt. Amor in liber est, ac sua sponte in libera ore decrevit. Quo fit, ut amor, etiam coget, qui ab initio liberam fore decrevit. Quo fit, ut amor, qui vim omnibus infert, omnium effugiat violentiam. Huius tanta libertas est, ut caeterae animi affectiones vel artes operationesque: praemium aliquod, ut plurimum, a se diuersum exoptent: Amor se ipso tanquam suuissimus praemio sit contentus quasi non sit praemium aliud praeter amorem quod amore sit dignum. Nam qui amat, amorem amat praecipue. Id enim vult ab amato potissimum, ut viciis amet amantem. Est etiam sapientissimus. Qua ratione amor rerum omnium creator sit atque seruator, & artium singularium magister & dominus, satis in Eryximachi oratione arbitror dis-  
tatum. In quibus sapientia amoris ostenditur. Ex omnibus his concluditur amorem idcirco & beatissimum esse, quia pulcherrimum sit, & optimus. Esse verò pulcherrimum ex eo constat, quia pulcherrimis tanquam sui similibus delectatur. Optimum propterea, quod optimos facit amantes. Optimum verò esse illum necesse est, qui alios optimos efficit.

DE DONIS AMORIS.

CAP. IX.

Quid amor sit ex nostra illa discurfione apparuit. Qualis fit, ex verbis superioribus Agathonis. Quae munera largiatur, facile ex dictis discitur. Est enim amor alter simplex mutuus alter. Simplex ille quemcumque comprehenderit, prudentem reddit ad pro-  
uidendum: acutum ad differendum: facundum ad eloquendum: ad res gerendas magnanimum: ad iocos facetum: ad ludos promptum ad seria quaeque fortissimum. Mutuus periculis pulsus securitatem: submota disensione concordiam: vitata miseria praestat felicitatem. Vbi enim mutua charitas, ibi nullae insidiae, ibi communia omnia: ibi lites & furta, homicidia cessant, & praelia. Tranquillitatem huiusmodi non animalibus solum, sed caelis etiam, elementisque: ab amore mutuo tribui, & hic tangit Agatho, & supra in Eryximachi oratione diffusius est ostensum. In oratione huius clare dicitur amor cuiusque mentes deorum hominumque: mulcere. Quod plane intelliget quisquis meminert in superioribus demonstratum fuisse, amorem in omnibus esse, atque ad omnia porrigi.

AMOR CAETERIS DIIS & antiquior est & iunior.

CAP. X.

SED ANTEQUAM sinem faciam optimi viri, tres pro ingeny viri-  
bus quaestiones: quae in Agathonis disputatione suboriantur: absolvam. Primo enim quaeritur cur Phaedrus seniore Saturnus & Ioue amorem: Agatho vero dixerit iuniorum. Secundo quid apud Platonem regnum necessitatis significat: Quid amoris imperium. Tertio qui deus quae artes regnante amore reppererint. Pater omnium deus mentes illas sui ministras, quae Saturnum, Iouem, caeterosque planetas mouent, amore quodam sui seminis propagandi, benignitate providentiae genuit. Mentis iterum euestigio naturae parentem suum recognitum diligunt. Amorem illum quo creantur caelestes, senorem illis: eum vero quo creatori suo afficiuntur, dicimus iuniorum. Praeterea Saturni planeta, & aliorum ideas angelicae meas a patre suo non prius accepit quam ad eius faciem amore ingenito steteretur. Ea rursus postquam illos accepit, flagrantius parentis munus amavit. Sic ergo angeli illius in deum dilectio, partim antiquior est ideis, quae deum dicuntur: partim etiam iunior. Igitur amor principium est & finis, deorum primus atque nouissimus.

AMOR ANTE NECESSITATEM regnat. Cap. XI.

VERUM UT quaestio secunda soluat, hic ante necessitatem deo regnare dicendum: quoniam diuinus amor omnibus ex se natura dedit originem: in quo nulla necessitatis violentia ponitur. Nam

cum nihil supra se habeat, non coactus, sed sponte quodlibet operatur. Mens autem quae illum sequitur, serente illo necessario pul-  
lulat. Ille igitur amore producit: haec necessitate producit. Ibi amoris, hic necessitatis incipit dominatio. Haec licet a summa dei bonitate nascatur, ideoque sit bona: tamen qui extra deum proceffit, ne cessario ab infinita parentis perfectione degenerat. Nunquam enim effectus totam suscipit causae bonitatem. In hac utique necessaria effectus tum processionem, tum etiam de generatione, necessitatis consistet imperium. Sed enim mens eius fugio genita suam, ut diximus, deligit auctorem: ubi regnum resurgit amoris. Nam & illa amore in deum erigitur: & deus amore eam ad se conuersam illuminat. Verum hic rursus necessitatis potentia serrept. Quippe cum lumen illud a deo descendens non tanta claritate recipitur a mente. natura sua obscura, quanta a deo tribuitur. Cogitur enim pro natura sua capacitatis recipere. Ideo violenta natura suscipiens sit lumen obscurus. Huius necessitati, amoris succedit iterum principatus. Illa siquidem primo hoc dei fulgore accensa, ardens in eum reflectitur, & hac re quasi scintilla luminis insulgata totam expetit luminis plenitudinem. Hinc & deus providentiae sua benignitate ultra primum illud naturale lumen diuinum quoque largitur: atque ita sibi inuice alterne succedit amoris necessitatisque potentia. Quae quidem successio, in diuina natura origine sit: in alijs, temporis intervallis: ita tamen, ut amor primus sit omnium atque nouissimus. De animo quoque & caeteris quae a deo sunt, quo ad duo haec imperia similiter iudicandum. Accedit si absolute loquatur, antiquius est amoris quam necessitatis imperium: cum in deo illius, huius in rebus creatis potestas incipiat. Si de rebus a deo creatis intelligamus, necessitatis tyrannus regnum antecedit amoris: cum res ipsae prius necessitate procedant atque degenerent procedendo, quam ad patrem suum amore revertant. Duo haec imperia, duobus hymnis cecinit Orpheus. Necessitatis imperium ita in noctis hymno, *δὲν καὶ τὰ ἀνάγκη πένοντο*, id est, Grauis necessitas omnibus dominatur. Amor autem regnum, ita in Veneris hymno, *καὶ νεοτέρας τῆς οὐρανὸν*, *πρωτὸς δὲ τὴν ἀνάγκη*, *ἠὲ καὶ ὁ δὲ ἀναγκὴ τῆς ἀνάγκης*. Tribus satis imperas, & generas omnia: quae in caelo sunt, & quae in terra, & quae in mari. Diuine Orpheus duo regna posuit, & ea inuicem comparavit, praeposuitque amorem necessitati, cum dixit illum tribus satis, in quibus consistit necessitas, imperare.

QUO PACTO REGNANTE NECESSITATE SATURNUS CASTRAUIT CAELUM: IUPITER VERO LIGAVIT SATURNUM.

CAP. XII.

QUO ANTEM pacto dominante necessitate sequentes dei parentes suos aut castrare aut ligare hic ab Agathone dicuntur, ex dictis facile intelligimus. Non enim haec ita accipienda sunt, ut mens angeli deum ipsum, sed munus sibi a deo tributum in seipso diuidat & discerpat. Satis paulo ante monstrauimus munera dei in recipiente spiritu necessario a summa dei perfectione decidere. Quo fit, ut sanctitas illa naturae in deo quidem integra, sed in angelo communis, & quodammodo mutilata, merito castrata fuisse dicatur. Quod quidem regnante necessitate contingere dicitur, quia neque dantis, neque accipientis voluntate, sed ea necessitate qua affectus causae suae equari non potest, necessario accidit. Sic enim Saturnus, id est angelus, Caelum, id est summum deum castrare videtur, Iupiter quoque, id est anima mundi ligare Saturnum, id est vim ab angelo acceptam in seipso naturae suae defectu angustiis limitibus coartare. Amplior enim est illius quam huius potentia. Ideo potentia, quae in illo expedita propter amplitudinem, & soluta, in hoc propter angustiam ligata tam & coartata censetur. Omitto quod astrologi opinantur, planetam Saturni malignitatem Iouis comminatione, vel receptione, vel oppositione, aut aspectu sexili, aut trino sepius co-  
erceri. Sed de his haecenus ad quaestionem tertiam descendamus.

QUI DIIS, QVAS ARTES HOMINIBUS largiuntur.

CAP. XIII.

ARTES a dijs propter amorem humano generi traditas Agathon arbitratur. Regnante ab Ioue: Sagittandi, diuindi, mendandi artem ab Apolline: Fabricam arariam a Vulcano: Textendi artificium a Minerva: et Musis denique musicam. Duodecim Zodiaci signis nomina praesunt duodecim. Arieti Pallas: Tauro Venus: Apolloni Gemini: Cancro Mercurius: Leoni Iupiter: Virgini Ceres: Librae Vulcanus: Scorpio Mars: Diuino Sagittario: Vespa Capri-  
cornu

cornu: Aquario Iuno: Piscibus verò Neptunus. Ab his artes omnes generi nostro traduntur. Signa illa in corpus: Numina quæ illis præ sunt in animam vires suas ad singulas artes infundunt. Ita Iupiter per Leonem hominem ad gubernationem deorum & hominum, id est ad res tam diuinas quam humanas præclare gerendas reddit aptissimum. Apollo per Geminos vaticinium, medicinam, & arcus industriam exhibet. Pallas per Arietem texendi peritiam. Vulcanus per Libram æriam fabricam: & artes reliquas alij. Quia verò providentiæ benignitate sua nobis munera magnificè largiuntur, amore instigante dicimus elargiri. Præterea velocissima illa & ordinatissima celorum conuersione musicam nasci consonantiam arbitramur, atque octo circulorum motibus tonos octo: ex cunctis autem nonum quendam produci concentum. Nouem itaque calorum sonos, à musica concordia musas nouem cognominamus. Huius musicæ ratione nos ter olim donatus est animus. Cui enim est origo celestis, meritò celestis innata dicitur harmonia. Quam deinde varijs instrumentis & cantibus imitatur. Idq; munus similiter diuinae providentiæ nobis est amore concessum. Huic ergo nos viri clarissimi deum, quia pulcherrimus est, amemus: quia optimus, imitemur: quia beatissimus veneremur: ut sua nobis clementia & largitate concedat pulchritudinis, bonitatis, beatitudinis suæ possessionem.

## ORATIO SEXTA.

## INTRODVCTIO AD DISPUTATIONEM DE AMORE.

## CAP. I.

**H**ælenus Carolus Marsupinus. Thomas autem Bencius Socratis diligens imitator ad Socraticorum verborum commentationem libenti animo, & hilari vultu se contulit. Socrates inquit nos ter Græcorum omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus amandi artem præ ceteris profiteri solebat, quasi ob artem huius peritiam potissimum & Socrates & alius quiuis esset sapientissimus iudicandus. Artem huiusmodi non ab Anaxagora, Damone, Archelao phisicis, non à Prodicò Chio, & Aspasia rhetoricæ professoribus: non à Cono musico, à quibus multa didicerat, sed à Diotima fatidica muliere diuino afflata spiritu se accepisse dicebat. Mea quidem sententia, ut ostenderet, sola diuinitatis inspiratione, quid vera pulchritudo sit: quid legitimus amor: qua ratione amandum: homines intelligere posse. Tanta est amatoris facultatis potentia, tanta sublimitas. Ergo procul ab his celestibus epulis abeste: procul inquam abeste propham: qui terrenis obruti sordibus & Baccho Priapoque prorsus emancipati, amorem celeste munus, in terram porcorum ritu canumq; prosternunt. Vos autem conuiuia castissimi: & alij omnes Dianæ & Palladi consecrati, qui animi purissimi libertate perpetuoq; mentis gaudio exultatis, adeste feliciter: diuinamq; mysteria Socrati à Diotima reuelata diligenter audite. Sed antequam Diotimam audiat solvenda est controversia quedam, inter eos quid de amore in superioribus tractauerunt, & eos qui tractaturi sunt, orta. Superiores namque amorem pulchrum, bonum, beatum, deum vocauerunt: Socrates & Diotima negant, atque illum inter pulchrum & turpe, bonum & malum, beatum & miserum, deum & hominem medium collocant. Nos utranque sententiam, licet alia ratione, veram existimamus.

## AMOR EST MEDIVS INTER PULCHRITUDINEM &amp; TURPITUDINEM, ATQUE INTER DEUM &amp; HOMINEM.

## CAP. II.

**F**erro magneti factum persimile ad hunc lapidem inclinatur. Inclinatio huiusmodi prout à lapide orta vergit, in lapidem, lapidea certè inclinatio dicitur: prout in ferro est, & ferrea est pariter, & lapidea. Est enim in ferri materia non pura illa quidè: sed per qualitatem lapidis iam formata. Ideo utriusq; retinet proprietatem. Ignis etiam, ut loquamur apertius, qualitate sua, id est calore linum accendit. Linum caloris qualitate suspensum ad supernam ignis euolat regionem. Volatum huiusmodi prout ab igne exitus vergit ad ignem, igneum plane cognominamus: prout in lino est non merito quidem, sed iam ignito, ab utriusque tam lini quam ignis natura, lineum æquè ac igneum dicimus. Figura hominis sepe numero propter bonitatem interiorum feliciter à deo concessam, aspectu pulcherrimum splendoris sui radium per oculos intuentium transfundit in animam. Hac utique scintilla tanquam hamo quodam tractus animus properat ad trahentem. Huic nos tractum qui & amor

est: quoniam à pulchro bono felici dependens in idem reflectitur: pulchrum, bonum, beatum, deum Agathonis ceterorumq; superiorum sententia nominare non dubitamus. Quoniam verò in animo est per radij illius pulchri præsentiam iam accenso, affectum inter pulchrum & non pulchrum medium cogimur nominare. Quandoquidem animus, qui nullam adhuc pulchre rei suscipit imaginem, rem illam tanquam incognitam nondum amat: & qui totam possidet pulchritudinem, amoris stimulis non vexatur. Quis enim quæ habet affectat? Restat, ut tunc ardenti flagret amore, quando speciosum aliquod rei pulchre simulacrum nactus, ea præfiguratione ad plenam possessionem pulchritudinis instigatur. Cum igitur amantis animus rem ipsam pulchram partim habeat quidem, partim vero non habeat: non iniuria partim pulcher est, partim non pulcher. Atque ita amorem ex huiusmodi mixtione medium quendam affectum esse volumus inter pulchrum & non pulchrum, virtusque participet. Ob hanc utique rationem Diotima ut ad eam iam veniamus, amorem dæmonem appellauit: quia sicut dæmones inter celestia & terrena sunt medijs, sic amor inter informitatem & formam medium obtinet. Mediam hanc eius regionem inter informem formamq; naturam Ioannes in prima & secunda eius oratione satis aperuit.

## DE SPHAERARVM ANI-

## MIS &amp; DÆMONIBUS.

## CAP. III.

**S**ed quomodo mediam plagam celum inter & terram dæmones habitent, ex verbis Diotimæ in conuiuio, Socratis in Phædro, atque in Philebo, Atheniensis hospitis in legibus & Epinomi, ita cognoscite: Vniuersam huius mundi machinam anima quadam regi, atq; moueri Plato existimat. Si quidem mundi corpus totum quoddam corpus est, ex totis quattuor elementis compositum, cuius particule sunt omnium animalium corpora. Nā animalis cuiusq; corpusculum mundani corporis particula est. Neque ex toto ignis, aeris, aquæ, terræ elemento, sed horum elementorum partibus quibusdam componitur. Quanto igitur totum parte perfectius est, tanto mundi corpus perfectius est singulorum animalium corpore. Absurdum esset imperfectum quidem corpus habere animam, perfectum vero neq; habere animam, neq; viuere. Quis n. adeo mēte captus est, ut partem viuere dicat, totum neget? Vni igitur totum mundi corpus, cum animalium corpora, quæ partes illius sunt, uiuant. Vnā esse oportet totius animam, sicut & vna est materia, vna constructio. Cum ergo duodecim sint mundi sphaeræ: ut Platoni placet, octo celi, & elementa sub celo quattuor, atque duodecim hæ sphaeræ discretæ inuicem sint, specie, motibus, & proprietate diuersæ, duodecim necesse est illis adesse animas, specie & virtute diuersas. Vna igitur erit vnus primæ materia anima. Duodecim circulorum, animæ duodecim. Quis terram, aut aquam neget viuere, quæ vitam animalibus ex se genitis tribuunt? Quod si feces hæ mundi viuunt, viuentiumq; sunt plenæ: cur non aer, & ignis excellentiores mundi partes uiuant, viuentiaq; in se similiter habeant, celiq; similiter? Sed animalia illa celestia, quæ sidera sunt, & terrena, aquatiliaq; videmus quidem, ignea verò & aerea non videmus. Quippe cum neque purum ignis, aut aeris elementum perspiciamus. Hoc autem interest: quod in terra duo sunt animalium genera, bruta & rationalia, similiterq; in aqua, cū aqua corpore terræ præstantior, non minus quam terra compos esse debeat rationis. Globi verò decem superiores propter eorum sublimitatem solis sunt rationalibus exornati. Animam mundi i. materiæ primæ, & duodecim sphaerarum, & siderum animas deos Platonicos nominant, tanquam angelicæ mentis summisq; dei pedissequas. Animalia quæ ignis ætherei sub luna locati, aut puri aeris, aut nebulosi aeris aquæ proximi regionem habitant, dæmones. Quæ terram incolunt rationalia, homines. Dij etiam immortales, & impatientes sunt: homines patibiles, atq; mortales sunt. Dæmones immortales sunt quidem, sed patibiles. Neq; passionibus dæmonibus corporis, sed animi affectus quosdam attribunt, quibus bonos homines amant quodammodo, malos oderunt seq; ipsos proprios & ardentius rebus inferioribus præcipuè humanis gubernandis immiscet. ij omnes ex hoc officio boni videntur. Esse verò alios quosdam malos dæmones Platonicos nonnulli, & Christiani theologi voluerunt. Sed de malis dæmonibus nulla ad præsens nobis est disputatio. Bonus autem nostri custodes proprio nomine angelos inferioris mundi gubernatores, Dionysius Areopagita, quod à Platone mente minimè discrepat, vocare solet. Quæ etiam quos deos & siderarum, siderumq; animos Plato nuncupat, angelos dei ministros Dionysij more possumus appellare, quod etiam à Platone ob eam causam non dissentit: quia huiusmodi animos, ut in decimo legum apparet, sphaerarum claustris haudquaquam perinde illigat, ut corporibus

poribus animas terrenorum. Sed tanta virtute à deo summo donatas affirmat, ut dei visione gaudere simul valeant, & sine vilo labore, aut felicitudine globos mundi pro patris sui voluntate regere & mouere, hisq; mouendis inferiora facile gubernare. Quare inter Platonem & Dionysium verborum potius est, quam sententiæ discrepatio.

DE SEPTEM DONIS QUAE A DEO HOMINIBUS PER MEDIOS SPIRITUS TRIBUUNTUR.

CAP. IIII.

**R**erum omnium ideis, quas diuina mens continet, sequentes dū, deorum muneribus demones subseruire dicuntur. A summo namque ad imum omnia per media transeunt: ita ut ideæ illæ diuinæ mentis conceptiones, per deos, demones, sua hominibus munera largiantur. Horum sunt præcipua septem. Contemplationis acumen. Gubernandi potestas. Amicitias. Claritas sensuum. Amoris ardor. Interpretandi subtilitas. Facunditas generandi. Horum vim deus primo in se continet. Deinde septem dijs, qui planetas septem mouent, angelisq; à nobis vocantur, horum potentiam tribuit, ita ut singuli singula præ cæteris capiant. Illi septem demonum ordinibus eis subseruiuntibus singulis præcipue singula exhibent. Isti tradunt hominibus. Profecto deus hæc animis statim à se natis infundit. hi ex orbe lacteo per cancrum labentes in corpus, caelesti quodam lucidoq; corpore involuntur: quo circumdati terrenis corporibus includuntur. Ordo enim naturæ requirit, ut purissimus animus in corpore hoc impurissimum, non prius quam medium quoddam & purius regmen accepit, decidere valeat. Quod cum animo crassius sit, hoc autem corpore purius & subtilius, commodissima à Platonis iudicatur animæ cum terreno corpore copula. Hinc itaque fit, ut planetarum animæ nostris animis, corpora verò corporibus nostris septem illorum munerum vires à deo datas statim ab initio, atq; assidue confirmet & roborent. Eidem officio præsent naturæ demonum totidem, inter caelestes & homines mediæ. Contemplationis donum Saturnus per Saturnius demones roborat. Gubernandi & imperandi potentiam Iupiter Iouialium demonum ministerio. Magnitudinem animi Mars per demones Martiales. Sensum, opinionisq; claritatem, unde raticinium sequitur, Sol demonum solarium adiumento: Amorem per Venereos Venus inspirat. Pronunciandi & interpretandi solertiam Mercurialibus intercedentibus Mercurius adiuvat. Luna postremo lunaribus demonibus conferentibus solet generationis officium. Horum facultatem licet hominibus cunctis impertiant: illis tamen præcipue, in quorum conceptione & ortu exacta dispositione possunt plurimum. Quæ quidem licet infusa diuinis hæc honesta sint, possunt tamen in nobis quandoque propter abusum videri deformia, quod est in gubernationis, amicitias, amoris generationis usu perniciosa. Amoris instinctum ne longius digrediamur, à deo summo, & à Venere, quæ dea dicitur, & à demonibus Venereis habuimus. Quoniam à deo descendit deus: quoniam à demonibus confirmatur, demon est appellandus. Quapropter iure apud Agathonem deus, apud Diotimam demon est dicitur. Demō, inquam, Venereus.

DE ORDINE DAEMONVM VENEREO- rum, & quomodo iaculantur amorem.

CAP. V.

**D**aemon autem Venereus, triplex est amor. Primus in Venere caelesti à Platonis ponitur. In ipsa scilicet angelicæ mentis intelligentia. Secundus, in vulgari Venere, in ea videlicet potentia, quam habet mundi anima generandi. Qui duo propterea demonibus appellantur, quia inter informitatem & formam sunt medijs, ut supra tetigimus, & paulo post latius explicabimus. Tertius ordo demonum planetam Venereis comitantium. Horum quoque scilicet demonum Venereorum, triplicem ordinem ponimus. Alij purissimi aeris, alij crassioris & nebulosi aeris elemento sunt assignati, omnesq; à Græco vocabulo ἔρως, quod amorem significat, Heroes. id est amatorij nominantur. Primi in eos homines amoris aculeos iaculantur: in quibus bilis, humor cholericus & igneus dominatur. Secundi in eos in quibus sanguis, humor æreus. Tertij verò in eos in quibus pituita, & atra bilis, aqueus, & terreus imperat humor. Cupidinis autem sagittis cum omnes homines, tum quattuor maxime illorum vulnerantur. Nam animas Iouis, Phœbi, Martis, Anonis, id est Ventris pedisequas vulnerari potissimum Plato in Phædro significauit: easq; ab ipsis generationis primordijs ad amorem pronas, easq; summopere homines amare solere,

qui sub iisdem sint orti syderibus. Hinc Iouiales Iouialibus, Martialibus Martiales, atque alijs similiter alijs vehementer afficiuntur.

QUOMODO CAPIAMVR AMORE.

CAP. VI.

**Q**uod de vno dicam exemplo, de tribus alijs intelligite. Qui cuncte animus sub Iouis imperio in terrenum corpus delabitur, certam quandam in ipso descensu sibi concipit hominis fabricandi figuram Iouis astro conuenientem. Hanc in æthereo sui corpore tanquam optime affecto exprimit exactissimam. Si nactus in terris semel fuerit, similiter temperatum, in eo quoque tertiam figuram pingit primæ secundæq; similitudinem. Sin contra, non ita persimilem: sæpenumero accidit, ut duo quidem animi licet diuersis temporum intervallis, Ioue tamen regnante descenderint: alterq; illorum semel in terra nactus idoneum corpus secundum priores ideas illas relictissimè figurauerit: alter verò propter materiæ ineptitudinem, idem opus inchoauerit quidem, sed non tanta ad sui exemplar fuerit similitudine executus. Corpus illud isto formosius. Ambo sibi propter quædam naturæ similitudinem mutuo placent. Sed placet magis, qui inter eos formosior iudicatur. Quo fit ut non formosissimos quoque, sed suos, id est similiter natos etiam si minus quam alijs multi formosissimi sint, quilibet maxime diligant. Proinde qui, ut diximus, eodem sub astro sunt orti, ita se habent, ut pulchrioris eorum simulacrum, per oculos in alterius animum manans, consimili cuidam simulacro, tam in corpore æthereo, quam in animi penetralibus ab ipsa generatione formato quadret, & vtrique consonet. Ita pulsatus animus obuium illud simulacrum tanquam suum aliquid recognoscit. Quod quidem si tale est pro viribus quale & ipse iam olim intra se possidet, & suo in corpore cum vellet effingere, minime potuit: illud suo interiori protinus admovent: & si quid illi deest ad perfectam corporis Iouialis effigiem, instaurat reformando: ipsum deinde reformatum simulacrum tanquam opus proprium diligit. Hinc accidit, ut amantes ita decipiantur: ut formosiores quam sit, existiment. Nam procedente tempore amatum non in mera eius imagine per sensus accepta perspicunt: sed in simulacro iam ab anima ad ideæ suæ similitudinem reformato quod ipso corpore pulchrius est, intuentur. Desiderant in super corpus illud vnde primo manauit simulacrum intueri quotidie. Quamuis enim animus absente corpore illius apud se conseruet imaginem, idq; sibi ferme sit satis: spiritus tamen animæ instrumentum oculisq; non seruant. Tria profecto in nobis esse videntur, Anima, Spiritus, atque Corpus. Anima & corpus natura longè inter se diuersa spiritu medio copulantur, qui vapor quidam est tenuissimus & perlucidus, per cordis calorem ex subtilissima parte sanguinis genitus. Inde per omnia membra diffusus animæ vires accipit & transfundit in corpus: Accipit iterum per organa sensuum, corporum exteriorum imagines: quæ in anima propterea figi non possunt, quia incorporea substantia, quæ corporibus præstantior est, formari ab illis per imaginem susceptionum non potest. Sed enim anima utique spiritui præsens imagines corporum in eo tanquam in speculo relucens facile inspicit, perq; illas corpora iudicat, atque hæc cognitio sensus à Platonis dicitur. dum eas inspicit, similes illis imagines multo etiam puriores sua vi concipit in seipsa. huiusmodi conceptionem, imaginationem, phantasiamq; vocamus. hic conceptæ memoriter seruantur imagines. Per has animæ acies sæpenumero incitatur ad vniuersales rerum ideas, quas in se continet intendas. Ideoq; vnum quendam hominem & sensu cernit & imaginatione concipit. Intellectu rationem, definitionemque hominibus omnibus communem per innatam illi humanitatis ideam communiter contemplantur, & quæ fuerint contemplata conseruat. Animo igitur formosi hominis simulacrum conceptum semel apud se reformatumq; memoriter conseruanti satis esset amatum quandoque vidisse. Oculo tamen & spiritui, quæ veluti specula præsentem corpore imagines capiunt, absente dimittunt, perpetua formosi corporis præsentia opus est, ut eius illustratione continue luceant, forueantur & oblectentur. Igitur & isti propter indigentiam suam præsentiam corporis exegunt, & animus us, ut plurimum, obscenus eandem cogitur affectare.

DE AMORIS ORTV.

CAP. VII.

**S**ed iam ad Diotimam redeamus. Hæc igitur eum amorem in demonum numerum ob eas quas enarrauimus causas retulisset: eius hunc in modum originem Socrati demonsttrauit. In veneris natalibus discumbentibus dijs Consilij filius Porus potu neclariis ebrius, cum Penia in Iouis hortu se

z uij miscus



miscuit: ex eo congressu natus est amor. In Veneris natalibus, id est, quando mens angeli, & mundi anima: quas Veneres ea ratione, quam alius diximus, nominavimus: ex summa Dei maiestate oriebantur: Dii discombant, id est Caelus & Saturnus & Iupiter bonis proprijs rescebantur. Nam cum in angelo intelligentia, & in mundi anima vis generandi, quas proprie Veneres geminas appellamus, prodibant in lucem: iam erat summus ille Deus quem vocant caelum: Essentia praetera, & vita in angelo, quos Saturnum vocamus & Iovem, atque etiam in mundi anima merat super norum cognitio, & caelestium corporum agitatio: quos iterum Saturnum Iovemque vocamus. Porus & Pena, affluentiam & egestatem significant. Porus Consilij filius. i. summi Dei semilla. Deus nempe consilium, & consilij fons appellatur, quia veritas omnium est & bonitas. Cuius splendore omne consilium verum efficitur. Ad cuius bonitatem omne tendit consilium. Iouis hortum, angelicam vitam fecunditatem intelligit: in quam cum descendit Porus, id est, ille dei scilicet radius, Venia, id est, priori huius indigetiae mixtus creatur amor. Principio angelus per Deum est & vnit: quo ad haec duo essentiam & vitam Saturnus & Iupiter nominatur. Habet in super intelligendi potentiam, quam esse Venerem arbitramur. Potentia huiusmodi sua natura informis est & obscura, nisi a deo illuminetur: quemadmodum oculi vis ante solis adventum, hanc obscuritatem Penam scilicet quasi inopiam & luminis defectum esse putamus. Caterum vis ea intelligendi naturali quodam instinctu ad suam reflexam parentem, diuinum ab eo radium, qui Porus est & affluentia, suscipit. In quo veluti semine quodam, rationes rerum omnium includuntur. Huius radii flammis naturalis ille instinctus accenditur, hoc incendium hic ardor ex obscuritate priori, & accendente scintilla exoriens, amor est ex inopia natus & affluentia, in horto Iouis, id est, sub umbra vitae progenitus. Quippe cum post vitam vigorem statim ardor ad intelligendum exoriatur. Sed cur ebrium neclare Porum inducunt? quia ratione diuina viuacitatis exuberat. Cur partim diues, partim egenus est amor? Quia neque quod perfecte possidemus, neque quo caremus omnino, ardere solemus. Cum enim id querat quisque, quo caret: qui totam rem possidet, quid ultra perquirat? Quinetiam cum incognita nemo desideret, necesse est ut aliquo modo cognitum nobis ante fuerit quod amemus: neque cognitum solum, multa enim nota nobis odisse solemus: sed ut tanquam bonum nobis & incundum fuerit indicatum. Neque id ad flagrantem benevolentiam satis esse videtur: nisi facile consequi posse quod incundum fore consueuimus iudicemus. Quisquis igitur aliquid amat, illud quidem re ipsa nondum integerrime possidet. Animi tamen cogitatione id ipsum cognoscit, incundum iudicat, consequi posse confidit. Haec ipsa cognitio, iudicatio, spes, quasi praesens aliqua absentis boni anticipatio est. Non enim arderet, nisi id ipsum placeret: neque placeret, nisi esset quodammodo praegustatum. Ergo cum amantes partim quod optant habeant quidem, partim vero non habeant, haud ab re ex indigentia quadam, & affluentia nuxta est amor. Hac utique ratione Venus illa superna per prima ipsius diuini radii gustationem accensa amore fertur ad integram totius luminis plenitudinem: hoc nixu parenti efficacius herens plenissimo statim illius fulgore corrumpat, rerumque rationes illic confuse, quae in radio, quem Porum dicimus, ante fuerant implicatae, explicantur, iam impotentia illa Veneris inherente, & clarius distincte luceant. Quemadmodum vero se habet ad deum angelus, ita ad angelum diuini, anima mundi. Ea enim ad superua se stectens ab illis similiter & radium accipit, & accenditur, gignitque anorem affluentiae inopiaeque participem. Hinc formis rerum omnium exornata ad earum exemplar caelos mouet, perque potentiam generandi, similes illis formas in elementorum materia generat. Venerem hic geminam rursus aspicimus. Alteram sane vim animae, huius ad superna cognoscenda. Alteram vero vim eiusdem inferiorum procreatricem. Illa quidem non est animae propria: sed contemplationis angelicae imitatio, haec autem naturae animae propria. Ideo quoties unam in anima Venerem ponimus, vim eius peculiarem, Venerem eius propriam intelligimus. Quoties duas, alteram communem cum angelo, alteram ipsius animae propriam. Sint igitur duae in anima Veneres, prima caelestis, secunda vero vulgaris. Amorem habeant ambae: Caelestis ad diuinam pulchritudinem cogitandam: Vulgaris ad eandem in mundi materia generandam. Qualem enim videt illa decorem, talem vult hac pro viribus mundi machina tradere. Imò vero utraque fertur ad pulchritudinem generandam, sed suo utraque modo. Caelestis Venus intelligentia sua effingere in seipsa exactissimam supernorum pulchritudinem nititur: Vulgaris diuinorum seminum vbertate conceptam apud se diuinitus pulchritudinem in mundi materia parere. Amorem illum quandoque deum iccirco vocamus, quoniam ad

diuina dirigitur: Ut plurimum demonem, quoniam inter inopiam copiamque est medius. Amorem alterum semper demonem, quoniam effectum aliquem ad corpus habere videtur, & ad inferiorem mundi plagam esse procliuor. Quod quidem a deo alienum est, demonum naturae conueniens.

IN OMNIBVS ANIMIS DVO SVNT  
amores, in nostris uero quinque.

CAP. VIII.

**G**emina autem Veneres haec geminque amores non solum in anima mundi, verum etiam in sphaerarum, siderum, demonum, hominumque animis insunt. Cumque animae omnes ad primam illam competentem naturalis ordinis serie referantur, necesse est amores quoque omnium ad illius amorem ita referri, ut aliquo modo ab illo dependant. Propterea hos quidem simpliciter demones: illum vero magnum demonem appellare Diotima consuevit. Qui per uniuersum mundum omnibus imminet torpere corda non sinit: sed passim suscitatur ad amandum. In nobis autem non duo tantum, sed quinque amores reperitur. Duo quidem extremi demones medij tres, non demones solum modo, sed affectus. Profectio in hominis mente aeternus est amor ad diuinam pulchritudinem peruidendam, cuius gratia, philosophia studia, & iustitia, pietatisque officia sequimur. Est etiam in generandi potentia occultus quidam stimulus ad sobolem procreandam, inquam amor perpetuus est, quo assidue incitatur, ut supernae pulchritudinis illius similitudinem in procreatae prolis effigie effingamus. Hi duo amores in nobis perpetui, duo sunt demones illi, quos Plato nostris animis semper adesse vaticinatur: quorum alter ad superna erigat, alter deprimat ad inferna, alter caelo demoni bonos demon sit, alter caecidemon, id est malus sit demon. Reuera utriusque sunt boni, quoniam tam sobolis procreatio, quam indagatio veritatis necessaria & honesta censetur. Verum secundus ideo dicitur malus, quia propter ab usum nostrum sepe nos turbat, & animum a praecipuo eius bono, quod in veritatis speculatione consistit, auertit maxime, & ad mysteria viliora detorquet. Horum medij amores in nobis tres obtinent, qui cum non sint in animo aequè ut isti firmissimi, sed incipient, crescant, decrescant & desinant: rectius motus atque affectus quam demones vocabuntur. Horum unum aequè interuallis ab utrisque distat extremis. Reliqui duo in partem alterutram inclinatur. Porro corporis alicuius figura propter materiae praeparationem talis est maxime, qualem in eius idea diuina mens continet tunc oculis obuia, perque oculos in spiritum penetrans, animo euestigio placet, cum illis consonet rationibus, quas veluti rei ipsius exemplaria tum nostra mens, tum generandi potentia olim diuinitus accepta conseruat. Hinc triplex, ut diximus, subrepat amor, aut n. ad contemplatiuam, aut actiuam, aut voluptuosam vitam promptus, & procliuor geniti educatiue sumus. Si ad contemplatiuam, statim a formae corporalis aspectu ad spirituales atque diuinae considerationem erigimur. Si ad voluptuosam, subito a visu ad concupiscentiam tangendi descendimus. Si ad actiuam atque moralem, in sola illa videndi atque conuersandi oblectatione perseveramus. Illi tam ingeniosi sunt ut alijs simi prouehantur, isti tam hebetes ut deprimentur ad infima, huiusmodi medij in media remanent regione. Amor itaque omnis incipit ab aspectu. Sed contemplatiui hominis amor ab aspectu ascendit in mentem. Voluptuosus ab aspectu descendit in tactum. Actiuus remanet in aspectu. Illius amor ad supremum demonem magis quam ad infernum se conuertit, istius ad infernum potius quam ad supremum distat, huius ab utroque interuallis distat aequalibus. Tres isti amores, tria nomina sortiuntur. Contemplatiui hominis amor, diuinus. Actiuus, humanus. Voluptuosus ferinus cognominatur.

QUAE PASSIONES AMANTIBVS  
insunt, propter amoris matrem.

CAP. IX.

**A**more esse demonem ex copia & inopia genitum, & quinque in species diuidi, haecenus declarauimus, quales autem in amantibus affectus ex huiusmodi amoris natura nascantur, deinceps ex Diotimae verbis tractabimus. Quoniam inquit amor in natalibus Veneris progenitus est, Venerem sectatur & colit, ac pulchri desiderio capitur, cum Venus ipsa pulcherrima sit. Quia inopiae filius est, aridus est & macilentus & squalidus, nudis pedibus, humilis, sine domicilio, sine stramentis et tegmine illo ad fores in uia sub diuo dormiens, ac demique semper egenus. Quia copia filius est, pulchris ac bonis insidiatur. Virilis est, audax, ferox, & rehemens

vehemens, callidus, sagaxque venator, noua semper machina-  
 menta contexens, prudentia studiosus, facundus; per omnem vi-  
 tam philosophans, incantator, fascinatorque potens, veneficus,  
 atque sophista. Neque immortalis omnino secundum naturam,  
 neque mortalis. Sed interdum eadem die pullulat atque viuut, quo  
 ties exuberat: interdum deficit atque iterum reuiuiscit ob patris na-  
 turam: quod verò acquisitum est subterfugit: quocirca neque men-  
 dicas est amor vniquam, neque etiam opulentus. Quinetiam in  
 medio sapientiae & inscitiae constituitur. Haec Diotima. Nos ea  
 quam breuissimè poterimus, explanabimus. Haec licet omnibus  
 insint amoris generibus, in tribus tamen medijs tanquam nobis  
 manifestioribus clariora videntur. In Veneris natalibus genitus  
 Venerem sequatur, id est cum supernis illis spiritibus, quos vo-  
 cauimus Veneres, genitus, hominum animos ad superna reducit:  
 ac pulchri desiderio capitur, cum Venus ipsa pulcherrima sit, id  
 est animas accendit summa diuinaeque pulchritudinis desiderio:  
 cum ipse sit in illis spiritibus ortus, qui Deo proximi dei dedecore  
 summooperè illustrantur, atque ad eosdem nos radios erigunt. Præ-  
 terea cum vita omnium animantium atque arborum & terræ fer-  
 tilitas in humore & calore consistat ad demonstrandam amoris  
 inopiam, utrunque deesse illi tam humorem quam calorem Dioti-  
 ma inuit, cum aridum, & macilentum dixit, & squalidum.  
 Quis enim ignoret arida & secca esse illa, quæ deserit humor?  
 Quis item pallorem dicat & squalorem alundè quam sanguine  
 caloris defectu venire? Quinetiam diuturno amore pallidi &  
 macilentum mortales efficiuntur. Quippe ad duo simul opera vis  
 naturæ ferre non sufficit. Animi amantis intentio in assidua a-  
 mati cogitatione tota se versat. Illic & naturalis complexionis  
 vis omnis intenta est. Ideo neque cibus in stomacho perfectè co-  
 quitur. Quo fit ut maior pars in superfluis reliquijs emitta-  
 tur, minor & ea quidem cruda trahatur ad iecur. Illic etiam  
 eadem ratione male concoquitur. Ideo sanguis paucus crudusque  
 inde per venas diffunditur: quare membra omnia inopia crudi-  
 tateque alimenti extenuantur & pallent. Præterea quocumque  
 animi assidua fertur intentio, illuc & spiritus qui animæ sine  
 curru, siue instrumenta sunt, aduolant. Spiritus in corde ex  
 subtilissima sanguinis parte creantur. In amati imaginem phan-  
 tasia infixam ipsissime amatum amantis animus rapitur. Eo-  
 dem trahuntur & spiritus. Illic euolantes assidue resoluuntur.  
 Quapropter frequentissimo puri sanguinis fomite opus est ad con-  
 sumptos spiritus recreandos: ubi subtiliores quæque & lucidiores  
 partes sanguinis quotidie in respirandis spiritibus exhalantur: pro-  
 pterea puro & claro sanguine resolutio, maculosus, crassus, a-  
 ridus restat & ater. Hinc exiccatur corpus & squalet: hinc &  
 melancholici amantes euadunt. Ex sicco enim, crasso, atroque  
 sanguine melancholia, id est atra bilis efficitur: quæ suis caput  
 vaporibus opplet, cerebrum siccatur, animam tetrus horrendisque  
 imaginibus diu nocturne sollicitare non cessat: quod Lucretio phi-  
 losopho epicureo propter amorem legimus accidisse. Qui amore  
 primum, insania deinde vexatus, sibi tandem ipsi manus iniecit.  
 Hæc illis accedere consueverunt, qui amore abusi, quod contem-  
 plationis est, ad amplexus concupiscentiam transulerunt. Vi-  
 dendum enim desideria facilius quam & videndi & attrahendi cu-  
 pidinem toleramus. Quæ cum medici veteres obseruassent, amo-  
 rem esse dixerunt passionem morbo melancholico proximam, eamque  
 Rasis medicus cotius, ieiunio, ebrietate, deambulatione curari præ-  
 cepit. Neque solum tales amor homines reddit, verumetiam qui-  
 cunque natura sunt tales, ad amorem procliuiores existunt.  
 Tales autem sunt ij, in quibus bilis, quam choleram vocant, vel  
 atra bilis, quam melancholiam, ceteris humoribus præualet.  
 Bilis calida & sicca est. Atra bilis sicca & frigida. Illa ignis,  
 hæc terra locum in animantium corpore tenet. Aridi ergo melan-  
 cholici & sicci ad terræ similitudinem: squalida & pallentes cho-  
 lerici ad similitudinem ignis intelliguntur. Cholericus propter ignei  
 humoris impetum in amorem præcipites perferuntur: melancholici  
 ob terre humoris pigritiam tardius amant. Verum propter hu-  
 moris ipsius stabilitatem, postquam illaqueati sunt, diutissime per-  
 seuerant. Merito igitur aridus & squalens fingitur amor, cum  
 homines qui tales sunt, præ cæteris amori soleant indulgere.  
 Quod ex eo potissimum fieri arbitramur, quia cholericus bilis in-  
 cendio exuruntur. Melancholici atra bilis corrodamur asperitate:  
 quod Aristoteles in septimo libro de moribus affirmat. Mole-  
 stus itaque humor semper angit utrosque, cogitque solamen ali-  
 quod maximum atque continuum, contra continuum humorum mo-  
 lestiam querere. Huiusmodi sunt musica, amorisque delitium. Nul-  
 lis enim alijs oblectamentis tam assidue operam impendere possu-  
 mus, quam musica vocumque delinimentis, pulchritudinisque il-

lecebris. Reliqui enim sensus citò replentur. Visus autem aut au-  
 ditus diutius oculis & pictura pascuntur inani. Neque solum ho-  
 rum sensuum firmiores sunt voluptates: verumetiam humane  
 complexionis cognatiores. Quid enim humani corporis spiritibus  
 conuenientius est, quam voces hominum & figurae eorum præ-  
 fertim qui non modo naturæ similitudine, sed etiam pulchritudi-  
 nis gratia placent. Quamobrem cholericus & melancholicus homi-  
 nes tanquam vicium remedium & solamen molestissimæ ipsorum  
 complexionis, cantus & forma oblectamenta sectantur. Ideoque  
 sunt ad Veneris illecebras proniores. Et Socrates, quem Aristote-  
 les melancholicum iudicauit, ad amandi artem, ut ipsemet pro-  
 fitebatur, erat omnium propensissimus. Idemque de Sappho me-  
 lancholica, ut ipsa testatur, possum iudicare. Necnon & Maro  
 noster, quem cholericum fuisse eius effigies indicat, quamuis pu-  
 dicus, fuit tamen procliuor ad amandum. Nudis pedibus. Ta-  
 lem propterea Diotima pinxit amorem, quoniam amator adeo in  
 rebus amatoris occupatus est, ut in ceteris vitæ officijs tam pri-  
 uatis quam publicis non cautus quidem incedat ut decet, sed abs-  
 que ulla discriminum prudentia temerarius quocumque feratur.  
 Ideo in suis progressibus frequentia incurrit pericula, non aliter  
 quam qui pedes suos corio non suffulciunt: unde crebris sentibus  
 & calculis offenduntur. Humilis. Græcum Platonis vocabulum  
 humi & per infima volans significat. Vidit enim sæpenumerò  
 propter amoris abusum sine sensu viuere amantes, & leuibus cu-  
 ris magna perire bona: hi sanè amatis seipsos vsque adeo dedunt,  
 ut in eos penitus transire nitantur, eosque tam verbis quam ge-  
 stibus in seipsis effingant. Frequentissima verò puerorum & pu-  
 ellarum imitatione, quis non effeminaretur? quis non puer,  
 feminæ exaferit? Sine domicilio. Humane cogitationis domici-  
 lium anima ipsa est. Anima domicilium spiritus. Domici-  
 lium spiritus huius est corpus. Tres habitatores sunt: Tria sunt  
 domicilia. Quisque horum naturali amisso exulat domicilio.  
 Nam cogitatio omnis non ad animi sui disciplinam & tranquil-  
 litatem, sed ad dilecti hominis se verit obsequia: & anima cor-  
 poris sui deserit ministerium, in amati corpus nititur transfili-  
 re. Spiritus anima curru, dum aliò properat animus, alio quo-  
 que euolat exhalando. Propterea itaque domo exit cogitatio, exit  
 anima, exit & spiritus. Primum exitum insania & inquietus-  
 do: Secundum debilitas mortisque formido: Tertium trepidatio,  
 pauor & suffirium comitatur. Quocirca proprijs laribus,  
 naturali sede, optata quiete, priuatus est amor. Sine Stramen-  
 tis & tegmine villo. Vbi enim quiescat, & quo tegatur, non ha-  
 bet. Cum enim res quæque suam originem repetant, amoris igni-  
 culus a formosi corporis obiectu in appetitu amantis accensus, in  
 corpus idem reuolare conatur. Quo quidem impetu, & appeti-  
 tum & appetentem secum euehit euolando. O crudelem aman-  
 tum sortem. O vitam omni morte miseriorem: nisi forsitan  
 resister animus hac amoris violentia proprio ex corpore captus ne-  
 gligat insuper amati figuram, atque in diuini splendoris æde, ubi  
 tandem quiescet, ubi explebitur, se recipiat. Quis item neget a-  
 morem sine tegmine nudumque vagari? Quis enim celet amo-  
 rem, quem toruus, taurinus, affixus prodit intuitus? quem in-  
 terceptus sermo declarat? rubor, pallorque vultus, crebra suspi-  
 ria, iactatio membrorum, perpetua querimonia, importuna lau-  
 dationes, subita indignatio, iactantia, procacitas, petulantia, va-  
 na suffitio, & vilissima indicant ministeria? Sicut in sole &  
 igne calorem lux radij comitatur: sic intimum amoris incendium  
 externa sequuntur indicia. Ad fores dormit. fores animi ocu-  
 li & aures esse videntur: hinc enim multa in animum inuehantur,  
 & animi affectus & mores clarissime per oculos emicant. In si-  
 guri spectandis & vocibus audiendis amantes, ut plurimum in-  
 morantur. Raro illorum mens in seipsam se colligit. Sæpius per  
 oculos, auresque vagatur. Idcirco ad fores dicuntur procumbe-  
 re. Dicuntur & in via iacere. Nam corporis species, via quæ  
 dam esse debet, per quam ad speciem incipiamus altiore ascendere.  
 Qui autem turpibus libidinis se prosternunt, aut etiam in  
 aspectu ultra quam decet versantur, in via ipsa restare videntur,  
 ad eius terminum minime proficisci. Sub diuo. Merito. Vna enim  
 in re penitus occupati, nihil in rebus agendis considerant. Itaque  
 casu vitam agentes, omnibus fortunæ periculis, tanquam qui nu-  
 di sub diuo vitam ducunt, omnibus tempestatibus sunt expositi.  
 Propter matris naturam semper egenus. Sanè cum prima origo a-  
 moris ab indigentia fuerit, & quod naturale est penitus extirpati  
 non possit, semper egenus, semper sitibundus est amor. Quandiu  
 enim deest ad consequendum aliquid, flagrat estus amoris. Cum  
 totum vndique possidetur, cessante indigentia potius desinit ardor,  
 quam sine egstate perduret.

QVAE DOTES AMANTIVM  
propter amoris patrem.

C A P. X.

**H**Aec inopiam amoris matrem sequuntur, copiam verò patrem eius contraria. Quae verò contraria sint intellectus superioribus, quibus agnoscat. Suprà descriptus est simplex, incautus, vilis, inermis: horum hic contraria inducuntur. Callidus enim dicitur: venator sagax, machinator, insidiator, prudentiae studiosus, philosophus, virilis & audax, vehemens, facundus, magnus, atque sophista. Idem amor, qui in ceteris negotiis incuriosum & inertem facit amantem: in rebus amatorijs astutum reddit & callidum, qui miris modis amati gratiam aucupetur, seu dolis implicet, seu captet obsequijs: siue eloquio mulceat, siue cantu deliniat, Idem furor, qui obsequio blandum fecerat: idem inquam furor arma ministrat: Indignantibus aduersus amatum ferocitatem, pro eo pugnantibus securitatem roburque inuictum. Amor vt diximus ab aspectu ducit originem. Aspectus inter mentem & iactum est medius: hinc semper amantis distrahitur animus & sursum vicissim deorsumque iactatur. Interdum amplexus cupido subortitur: interdum verò pudicum caelestis pulchritudinis desiderium, & modò illa, modò hoc peruenit & ducit. In his qui honestissime educati sunt, & ingenij pollent acumine, hoc: in alijs, illa saepius superat. Quicumque in feces corporis se prosternunt, meritò aridi, nudi, humiles, inermes & inertes esse censentur. Aridi, quia semper esuriunt, implentur nunquam. Nudi, quia tanquam temerarij omnibus subiecti periculis, tanquam impudentissimi & inculti infames, habentur. Humiles, quia nihil altum, nihil magnificum cogitant. Inermes, quia fugitose succumbunt cupiditati. Inertes, quoniam adeò hebetes sunt, vt quò amor eos trahat, ignorent, & in via restent, ad terminum non perueniant. Contrarij verò contra videntur affecti: nam solidis animi bonis rescentes implentur magis & tranquillius diligunt, pudorem seruant, vmbrailem corporis speciem negligunt atque altius eleuantur: ac velut armis muniti, inanes à se libidines fugant, & sensus rationi subiiciunt. Hi tanquam solertissimi omnium & prudentissimi ita philosophantur, vt per corporum figuras quasi quaedam vestigia, siue odores prouidentissime gradiantur: ex his sacrum animi numinumque decorem sagaciter inuestigant: atque ita prudenter venando, quod cupiunt feliciter assequantur. Tantum profecto munus amoris à patre ipsius copia proficiscitur: quoniam pulchritudinis radius, qui & copia est & pater amoris, hanc habet vim, vt illic vnde venerat reflectatur, seculumque trahat amantem. Descendit autem à Deo primum: inq; angelum & animam quasi vitreas materias transiens, & ab anima in corpus eius susceptioni paratum facile demanans, ab eo ipso inferioris hominis corpore, praesertim per oculos animi fenestras lucidissimas emicat: aduolat per aerem protinus & senioris oculos penetrans transigit animam, appetitum accendit, fauciam animam, appetitumque accensum in medelam eius & refrigerium ducit, dum eodem rapit secum vnde ipse descenderat, gradatim quidem in corpus amati primum, in animam secundo, tertio in angelum, postremò in Deum, primam splendoris huius originem. Hæc vitilis venatio, hoc felix amantium aucupium. Hanc vtique venationem apud Platonem in Protagora Socrati nostro familiaris quidam eius attribuit. Vndenam inquit, o Socrates? Arbitror equidem à venatione illa redire te, ad quam honesta Alcibiadis indoles prouocare te solet. Præterea Sophistam amorem vocat & magum. Sophistam Plato in Sophista dialogo ambitiosum & subdolum definit disputatorem, qui captiuularum versutijs falsum pro verò nobis ostendit, cogitque eos qui secum disputant sibi in sermonibus contradicere. Hoc tam amantes, quam amati quandoque perpetiuntur. Siquidem amantes amoris nebulis occecati falsa sepe pro veris accipiunt, dum dilectos suos formosiores, acutiores, meliores quam sint arbitrantur. Sibi metipsi propter amoris violentiam contradicunt. Aliud enim ratio consulit, aliud concupiscentia sequitur. Consilia sua ad amati imperium mutant: sibi ipsi vt morem gerant alijs, aduersantur. Sepe etiam formosi amatorum astutia irretiuntur, & faciles sunt qui antea fuerant pertinaces. Sed cur magum putamus amorem? quia tota vis magicæ in amore consistit. Magica opus est, attractio rei vnius ab alia ex quadam cognatione naturæ. Mundi autem huius partes, seu animalis vnius membra, omnes ab vno autore pendentes, seu animalis vnius membra, inuicem copulantur. Ideo sicut in nobis cerebrum, pulmones, cor, iecur, & reliqua membra à se inuicem trahunt aliquid, sequi mutuo inuuant, & vno illorum aliquo patiente compatiuntur: ita in-

gentis huius animalis membra, id est, omnia mundi corpora connecta similiter mutuant inuicem naturas & mutuantur: ex communi cognatione communis innascitur amor, ex amore communis attractio. Hæc autem vera magica est. Sic ab orbis lunæ concavitate propter naturæ congruitatem sursum trahitur ignis: ab ignis concavitate aer: à mundi centro terra ad infima trahitur: à loco etiam suo rapitur aqua. Hinc & magnes ferrum, & electrum paleas, ignem sulphur, sol flores multos ad se vertit & folia: luna aquas, Mars ventos ciere solet, & herbae varia varia quoque ad se inuitant animantium genera. In rebus etiam humanis trahit sua quenque voluptas. Magicæ igitur opera, natura opera sunt. Ars verò ministra. Ars enim vbi naturali cognatione destitit aliquid, per vapores, numeros, figuras, qualitates opportunis supplet temporibus: quemadmodum in agricultura natura segetes parit, ars præparat. Hanc artem veteres demonibus attribuerunt: quia intelligunt qualis sit rerum naturalium societas, quid cuique congruat, quomodo concordia rerum, sicuti destitit, instauretur. His nonnulli vel naturæ similitudine quadam amici, vt Zoroaster & Socrates, vel cultu dilecti, vt Apollonius Tyaneus, & Porphyrius fuisse traduntur. Ideo vel vigilantibus signa voces atque portenta, vel dormientibus oracula, & simulacra à demonibus contigisse narrantur. Qui amicitia demonum magi euasisse videntur: quemadmodum demones magi sunt rerum ipsarum amicitiam cognoscentes: & natura omnis ex amore mutuo magica cognominatur. Quinetiam formosus quisque teneris nos fascinat oculis. Viri eos eloquentia viribus & carminum modulis, quasi quibusdam incantationibus delinunt, sibi que conciliant: cultu præterea & muneribus non aliter quam venescijs placant & capiunt. Quae propter nemini dubium est, quoniam amor sit magus, cum & tota vis magica in amore consistat, & amoris opus fascinationibus, incantationibus, venescijs expleatur. Neque mortalis est omnino, neque etiam immortalis. Non mortalis, quoniam duo amores in nobis, duo illi quos dicimus demones, insunt perpetui. Non immortalis, quoniam tres horum medij mutantur quotidie, crescunt atque decrescunt. Præterea in hominum appetitu à vitæ primordijs inextinguibilis imatus est feruor, qui animum quiescere non permittit, ac semper impellit, vt ad certum aliquid studiosè se applicet. Diversa hominum ingenia sunt, nec voto viuunt vno. Vnde continuis ille concupiscentia feruor, qui naturalis est amor, alios ad studia literarum: ad musicam alios vel figuras, alios ad honestatem morum seu vitam religiosam: alios ad honores: nonnullos ad pecunias cumulandas, plerisque ad ventris luxuriam, alios impellit ad alia: necnon eundem hominem in diversis ætatis ad diuersa. Idem itaque feruor & immortalis dicitur & mortalis. Immortalis, quia nunquam extinguitur, mutatque materiam potius quam euascat. Mortalis, quia non ad idem semper incumbit: sed aut ex naturæ mutatione, aut ex diuturna rei eiusdem frequentatione orta satietate noua requirit oblectamenta: & qui in re vna ferme defectit, in alia quodammodo renouiscit. Dicitur etiam ob eam causam immortalis, quod dilecta semel figura semper amatur: quandis enim eadem in eodem homine permanet, in eipso diligitur: cum verò ab eo desuxerit, non amplius eadem in illo figura est, quam prius amabas. Nouam hanc non ardes quidem, quia nec arseras antè, priorem verò illum amare non desinis: hoc tamen interest, quod illam prius prospiciebas in alio: iam verò in tempore inspicis solum, eademque memoria semper infixam semper & amas, & quoties animi oculis occurrit, toties te vrit amantem. Ideo quoties illum nobis olim charissimum habemus obuium, toties commouemur, vel saluunt, trepidantque præcordia, vel liquefit nec cur, vel tremunt oculi, variisque trahit vultus aduerso illo coloribus. Eius enim præsentia latentem mente figuram animi suggerit oculis, ac velut sopitos sub cmeribus stando suscitatur ignes. Hæc de causa amor dicitur immortalis. Sed hic etiam ideo immortalis habetur, quia licet maneant semper infixi peccatore vultus, non tamen aequè se mentis oculis offerunt, quocirca feruere vicissim benouolentia atque referuere videtur. Accedit ad hæc quòd & feruus & humanus amor sine indignatione esse nunquam potest. Quis illi non indignetur, qui ipsi abstulerit animum? Vt enim præceteris grata libertas, ita seruitus onerosa. Itaque formosus odii simul & amas: odis tanquam fures & homicidas, tanquam scæcula caelesti fulgore micantia, mirari cogis, & amare. Quid agas miser? Quo te vertas, nescis heu perditæ nescis. Cum tui hoc homicida esse nolles, nolles etiam sine beato spectaculo viuere. Cum hoc esse non potes, qui te perdit, qui enecat: sine hoc non potes viuere, qui tam miris illecebris te tibi surripit, qui totum te sibi vendicat. Hunc fugere cupis, qui suis te flammis adurit: huic etiam cupis herere, vt ipsi te possidenti proximus tibi quos

quoque cohaereas. Te ipsum miser extra te quæris, hæresq; raptori, ut captum quandoq; te redimas. Amare quidem nolles insane, quia emori nolles: nolles etiam non amare, quippe qui celestium simulacro iudicas seruendum. Quapropter hac alteratione fit, ut singularis (ut ita dicam) momenti arefeat amor & reuifceat. Ponitur etiam à Diotima inter sapientiam & ignorantiam medius. Porro amor, quæ pulchra sunt sequitur. Omnium pulcherrima sapientia est. Appetit igitur sapientiam. Qui sapientiam appetit, eam omnino non possidet. Quis enim præsentia querat? Neque etiam caret omnino. In eo enim vno saltem est sapiens quod suam inscitiam recognoscit: qui verò ignorare se nescit, tam res ipsas, quam suam ignorat inscitiam, neque scientiam expetit, cuius esse se nescit expertem. Amor igitur sapientia, quia partim sapientia priuatus est, partim est sapiens, inter sapientiam ignorantiamque locatur. Hæc inquit Diotima, est amoris conditio, ipsius autem pulchri, id est suæ præmi pulchritudinis natura est, ut delicatum sit, perfectum atque beatum. Delicatum, in quantum sua quadam suavitate ad se allicit omnium appetitum: Perfectum, in quantum quæ illuc accedentia illustrat radijs suis & perficit: Beatum, in quantum illustrata bonis implet æternis.

QUAE UTILITAS AMORIS  
ex eius definitiones.

CAP. XI.

Postquam verò quæ sit amoris origo, & qualis ipse sit, Diotima enarrauit, iam quorsum tendat, & ad quid conducat hominibus, aperit. Omnes quidem bona habere cupimus, nec habere solum, sed semper habere. Singula verò mortalium bona mutantur atque deficiunt, ac cito cuncta vanescerent, nisi abeuntium loco noua quotidie fierent. Ut ergo bona semper nobis quoquo modo perdurent, peruentia cupimus recreare. Generando recreatio fit. Hinc immatus est omnibus generationis instinctus. Generatio autem cum mortalia diuina continuatione similia reddat, munus est profectio diuinum. Diuinis utpote pulchris, deformia contraria sunt formosa similia & amica. Itcirco generatio diuinum opus in eo quod pulchrum est profectio & facile consummat, in contrario contra. Quapropter generationis ille conatus formosa poscit, contraria refugit. Quid hominum amor sit postulat? ad quid conducat? Cupido generationis in pulchro ob seruandam vitam mortalibus in rebus perpetuam hic hominum in terra viuentium amor est, hic nostri finis amoris. Enimvero coipso in tempore quo animalium vnumquodq; viuere dicitur, idemq; esse, ut à pueritia ad senectutem, quamuis idem dicatur, nunquam tamen in se eadem continet, sed nouum semper efficitur, ut Plato inquit, & vetera exiit secundum pilos, carnem, ossa, & sanguinem, & corpus penitus vniuersum. Neque in corpore solum, sed etiam in anima id contingit. Mores, consuetudines, opiniones, cupidines, voluptates, dolores, atque timores igitur permutantur, nec aliquid ex istis idem & simile perseverat, priora quidem abolentur, noua succedunt atque adulescent. Quinetiam quod mirabilis est, scientia quoque non solum alia euanescent, & alia surgunt, neque semper secundum scientias idem sumus, verum etiam vna quævis scientiarum ferme idem patitur. Meditatio enim & remissio, quasi prætereuntis scientia resumptio est. Oblitio nanque scientia exitus esse videtur. Meditatio verò nouam semper memoriam abeuntis loco restituentis, scientiam seruat, ut esse eadem videatur. Hoc utique pacto quæcumque in animo vel corpore mutabilia sunt, seruantur, non quia semper omnino eadem sint, hoc enim diuinorum est proprium, sed quoniam quod tabescit & abit & nouum & simile sibi relinquit. Hoc certe remedio mortalia immortalibus redduntur similia. Est igitur in vtraque anima parte, tum ea quæ ad cognitionem spectat, tum ea qua regitur corpus, amor generationis immatus ad vitam perpetuo seruandam. Amor qui in hac parte est ad corpus regendum accommodata, statim ab initio nos impellit ad cibum potumque sumendum, ut his alimentis generentur humores, quibus quod à corpore iugiter destituit, resumatur. Quæ generatione nutritur corpus & crescit. Adulto corpore semen ipsum lacescit, & procreanda sobolis libidinem prouocat, ut quod in seipso semper manere non potest, reseruat in prole sibi persimili maneat sempiternum. Amor etiam generationis partem animæ cognoscenti tributus, efficit ut anima veritatem, alimoniam propriam concupiscat, per quam suo modo nutriatur & crescat, ac si quid per obliuionem animo excidit, aut torpet propter desidiam & incuriam, recordationis & meditationis studio quasi regenerat, reuocaturque in mentem quod per obliuionem perierat, vel torpuerat per ignauiam. Adultum verò iam animum flagrantissima docendi

atque scribendi stimulat cupiditate, ut scientia vel in scriptis, vel in discipulorum animis generata, præceptoris intelligentia, & veritas inter homines æterna permaneat. Atque ita amoris beneficio cuiusque hominis tam corpus, quam animus in rebus humanis post mortem semper superesse posse videatur. Amor vterque pulchra seclatur. Nempe qui corpus regit atque gubernat, corpus proprium ex epulis, quam delicatissimis, incandissimis & pulcherrimis alere concupiscit, & prolem formosam cum speciosa femina generare: & qui ad animum pertinet, cum ornatisissimis grauisissimisque disciplinis studet inbuere, ac scientiam suæ similitudinem scribendo ornato pulchroque in stylo edere, & docendo in animo quodam pulcherrimo generate: puro inquam animo, acuto & optimo. Animum quidem ipsum non cernimus: ideo neque eius inspicimus pulchritudinem. Corpus autem vtramque animi, imaginemque videmus: itaque ex eius imagine sufficantes in corpore formoso speciosum esse animum coniectamur. Quamobrem formosos homines libentius erudimus.

DE DVOBVS AMORIBVS,  
& quòd anima nascitur prædita ueritate.

CAP. XII.

De amoris definitione satis iam diximus: nunc autem quæ apud Platonem sit ex animi corporisue fecunditate de amore desinitio, declaremus. Omnium, inquit, hominum prægnans & grauidum corpus est, prægnans & animus. Corpori femina suorum omnium ab initio sunt inserta. Hinc statutiis curricula temporum dentes erumpunt, prodeunt pili, barba profunditur, procreationis femina desuunt. Si fecundum corpus est, grauidumque seminibus, multo magis animus præstantior corpore vberimus est, atque suorum omnium ab initio semina possidet. Igitur morum, artium, disciplinarum rationes iandiu sortitus est animus, suosque factus inde, si recte colatur, statuis temporibus promittit in lucem. Quod autem rationes suorum omnium ingenitas habeat, ex appetitu eius, inquisitione, inuentione, iudicio, comparatione cognoscimus. Quis neget animum statim à tenera etate, vera, bona, honesta, vilia exoptare? optat autem nullus incognita. Ergo insunt istorum aliqua etiam antequam appetat, in animo notiones: per quas eæ formas rationesue ipsorum, ea iudicat appetenda. Idem ab inquisitione & intentione probatur: si in turba hominum querat Socrates Alcibiadem, sitq; illum aliquando reperiturus, necesse est Socratis menti aliquam Alcibiadis inesse figuram, ut sciat quem hominem querat præ cæteris, ac reperitur in cætu multorum, Alcibiadem ab alijs discernere valeat. Ita neque indagaret ea quæ tuor animus, neque aliquando inueniret, nisi haberet illorum, id est Veritatis, Bonitatis, Honestatis, Utilitatis, aliquam notionem, per quam illa quæret inueniturus, ut quoties reperit quæ inuestigauerat, recognoscatur, atque ab eorum discernatur contrarijs. Neque solum ab appetitu, indagacione, inuentione, sed etiam à iudicio id probamus. Quicumque enim aliquem sibi amicum iudicat, vel inimicum, quid amicitia, quidue maleuolentia sit, non ignorat. Quoniam igitur pacto multa vera vel falsa, bona vel mala, ut solemus, quotidie iudicemus, & recte iudicemus, nisi esset nobis veritas quodammodo bonitasq; præcognita? Quomodo rursus struatur, musica, pictura & artium ceterarum opera, necnon inuenta philosophorum, multi etiam in his artibus non versati probarent seipsos recte & reprobarent, nisi illarum rerum forma quædam esset, & ratio illis à natura tributa? Comparatio quoque idem nobis ostendit. Quicumque enim mel vino comparans alterum altero pronunciat dulcius, quis dulcis sit sapor, agnoscit: & qui Spensippum & Xenocratem conferens ad Platonem, Xenocratem censet Platonis similiorem, quam Spensippum, Platonis figuram proculdubio nouit. Eodem modo cum è multis bonis aliud alio melius recte existimemus, & maiori minorue bonitatis participatione aliud alio melius deteriu sue appareat: necesse est bonitatem non ignorare. Præterea cum è multis diuersis philosophorum aut etiam aliorum opinionibus, quæ veri sit similior & probabilior, sepe optime iudicemus, oportet non deesse nobis aliquem veritatis intuitum, ut quæ sint illius similia non nesciamus. Quapropter nonnulli in adolescentia, aliqui etiam sine præceptore, plerique ex paucissimis doctrinæ rudimentis à præceptoribus demonstratis doctissimi euasisse traduntur: quod nunquam nisi multum, ut diximus, iuante natura, fieri potuisset. Hoc abundè Socrates Phædoni, Theæto, Menoni, pueris demonstrauit: docuitq; posse pueros recte in singulis artibus respondere, si quis prudenter eos interroget: quippe cum à natura sint artium disciplinarumq; omnium rationibus præditi.

IN ANIMA EST VERITATIS LUMEN.  
CAP. XIII.

Quo autem modo huiusmodi sunt in animo rationes, apud Platone videtur ambiguum. Si quis eos libros sequatur, quos iunior scripsit Plato, Phaedrum, Menonem & Phaedonem, putabit forsitan ita ferme illas esse in animi substantia pictas, tanquam in pariete figuras: quod in superioribus sepe & a me & a vobis est factum: sic. n. ibi videtur innuere. In sexto autem de Republica libro, diuinus ille via totam rem aperit, dicitque lumen esse mentis ad intelligenda omnia, eundem ipsum Deum, a quo facta sunt omnia. Solenque & Deum ita inuicem comparat, ut quemadmodum se habet sol ad oculos, ita ad mentes se Deus habeat. Sol oculos generat, rimque illis praestat videndi. Quae frustra esset, & sempiternis obruta tenebris, nisi solis lumen adesset corporum pictum coloribus & figuris: in quo oculis corporum colores videt atque figuras. Neque aliud quicquam nisi lumen, oculos intuetur. Videtur tamen varia intueri, quia lumen ipsi infusum varijs externorum corporum formulis est ornatum. Hoc quidem lumen in corporibus reflexum, oculus percipit: ipsam vero in fonte suo lucem minime sustinet. Eodem pacto Deus animam procreat, etque mentem, vim ad intelligendum largitur: quae vacua esset atque obscura, nisi Dei sibi lumen adesset: in quo rerum omnium inspicit rationes, vnde per Dei lumen intelligit, atque ipsum diuinum duntaxat lumen agnoscit. Diuersa tamen videtur agnoscere, quia sub diuersis rerum ideis & rationibus ipsum imaginem fabricat, diuinique in ea iudicanda reuoluitur, metus suae aciem tollit ad hominis rationem in diuino lumine existentem inspicendam: inde scintilla in mente protinus emicat: ac reuera natura ipsa hominis intelligitur, atque de ceteris omnibus eodem pacto. Itaque per Dei lumen omnia intelligimus, ipsum vero purum lumen eiusque fontem hac in vita videre non possumus. In hoc plane tota anima consistit fecunditas, quod in eius penetralibus lux illa Dei fulget aeterna rerum omnium rationibus, ideisque plenissima, ad quam anima quoties vult, vitae puritate, & summa studij intentione conuertitur, conuersa scintillis emicat idearum.

VNDE AMOR ERGA MASCVLVS, VNDE  
erga foeminas. CAP. XIII.

Ita praegnantis hominum corpus, ut Plato vult, praegnantis & animus, & ambo amoris incitamentis stimulantur ad partum. Ceterum alij vel propter naturam, vel propter educationem ad animi fetus sunt quam corporis aptiores: alij & quidem plurimi, contra. Illi celestem sequuntur anorem, hi vulgarem. Illi natura circa mares, & illos quidem iam penè adultos potius quam foeminas, aut pueros amant: quoniam in eis magis admodum viget mentis acumen, quod ad disciplinam, quam illi generaturi sunt, propter excellentiorem sui pulchritudinem est aptissimum. Alij contra, propter congressus venerei voluptatem, & corporalis generationis effectum. Quoniam vero genitalis illa vis animi, utpote cognitionis expertis se cuius nullum habet discrimen: natura tamen sua toties incitatur ad generandum, quoties formosum corpus aliquod indicamus: contingit plerumque, ut qui cum masculis conuersantur, quo genitalis partis stimulus sedent, illis se misceant: Hi praesertim in quorum genesi Venus in signo masculino & cum Saturno fuerit, vel in Saturni simbus, vel Saturno opposita. Oportebat autem animaduertere genitalis partis illius incitamenta, non irritum hoc iacturæ opus, sed ferendi & procreandi officium affectare, atque a masculis ad foeminas eam traducere. Huiusmodi quodam errore nefarium scelus illud exortum putamus, quod in legibus suis Plato tanquam homicidij speciem acerrime detestatur. Quippe non minus homicida censendus est, qui hominem praeripit nasciturum, quam qui natum tollit à medio. Audacior quidem qui praesentem abrumpit vitam, crudelior autem, qui lucem inuidet nascituro, & nondum natos suos filios enecat.

SVPRA CORPVS EST ANIMA, SVPER ANI-  
mam angelus, super angelum Deus.

CAP. XV.

Verum de gemina vbertate animae, geminisque amoribus haecenus. Deinceps quibus gradibus Diotima Socratem ab infimis ad superna euehit, disseramus: à corpore in animam, ab anima in angelum, ab angelo reducit in Deum. Hos quattuor rerum gradus in natura esse debere ita licet argumentari. Omne corpus ab alio quodam mouetur: mouere autem seipsum natura sua non potest, quum nec agere per se quicquam valeat. Sed propter animae praesentiam seipso moueri videtur: & propter animam viuere. Et praesente quidem anima seipsum mouet quodammodo: absente vero, ab alio duntaxat mouetur, utpote quod hanc ex seipso naturam non habeat, sed anima proprie vim seipsam mouendi possideat. Nam cuiuscunque adest, vim ad seipsum mouendum imperit: quod autem ipsa sui praesentia imperit alijs, hoc ipsa multo prius magisque debet habere. Est igitur anima supra corpora: utpote quae seipsam secundum essentiam suam mouere queat: atque iccirco super illa debeat esse, quae non ex seipsis, sed aliorum praesentia in se moueant assequuntur. Cum dicimus seipsa moueri animam, non transiit, ut ita dixerim, quemadmodum à Platone accipi voluit Aristoteles, sed absolute verbum illud proferimus, ut cum stare per se Deum, lucere solem per se, calere ignem asseueramus. Non enim pars animae mouet, pars agitatur: sed tota ex se, id est sua natura mouetur: hoc est, ab alio in aliud ratione discurret, ac nutritionis, augmenti, generationis opera per intervalla temporum transigit. Temporalis ista discursio ex seipso competit animae: quia quod super eam est, non alijs momentis alia, sed vno aeternitatis puncto simul intelligit omnia. Quapropter recte primus à Platone motus, & primum temporis intervallum in anima ponitur: vnde & motus & tempus in corpora transeunt. Quoniam vero ante motum statum esse necessarium est, cum status sit ratione perfectior, supra motionem animae mobilem oportet stabilem aliquam intelligentiam reperiri, quae secundum se totam intelligentiam sit, & actu semper intelligentia. Anima enim non se tota, neque semper, sed ex quadam sui parte, & quandoque intelligit: neque certam habet, sed ambiguum intelligentiam virtutem. Ut ergo quod perfectius est, illud quod est imperfectius antecedit, supra mentem animae, quae mobilis est, cuius pars, quae intermissa, quae dubia, ponenda est angeli mens stabilis tota, continua, atque certissima: ut quemadmodum corpori ab alio agitato, anima per se mota praecedat, ita animae per se agitatae mens stabilis per se praecedat. Et quemadmodum corpus per animam habet ut se moueat: atque ideo non omnia corpora, sed animata sponte sua moueri videntur: ita anima per mentem habet quod semper intelligat. Si enim suapte natura animae intellectus inesset, omnibus etiam bestiarum competeret animabus: quemadmodum suus spiritus agitari potestus. Non igitur animae intellectus per se, primoque competit: quare eam antecedit oportet, quod per se primoque mens est compos: huiusmodi angelus est, animus excellentior. Sed enim angeli mentem, rerum illud principium, summumque bonum, quod in Parmenide Plato ipsum vnum vocat, necessario supereminet. Quippe super omnem rei compositae multitudinem vnum ipsum simplex debet esse natura: ab uno enim numerus, & à simplicibus compositio tota constat. Mens autem illa licet immobilis sit, non tamen vnum ipsum purum simplex existit. Intelligit enim seipsam: ubi diuersa inter sese quoquomodo videntur haec tria: quod intelligit, quod intelligitur, intellectio. Alia enim ipsius ratio est, prout intelligit, prout intelligitur alia, alia item prout intellectio est. Habet praeterea cognoscendi potentiam ante cognitionis actum per se prorsus informem: cognoscendo formatur, quae intelligendo veritatis lumen cupit & capit: quo videtur antequam intelligeret caruisse. Habet quoque in se idearum omnium multitudinem. Cernit quantum sit, quam varia in angelo multitudo atque compositio. Itaque ipsi purum vnum & simplex praepone cogimur. Ipsi autem vni Deo nihil possumus antepone, quia verum vnum omnis multitudinis, omnis compositio est expertis. Quod si supra se quicquam haberet, ab illo vti que fieret: quare ab eo dependens in hoc ipso ab eodem degeneraret, ut à causa omnis solet effectus. Ideoque non vnum iam esset & simplex, sed saltem ex duobus compositum, scilicet ex causa suae munere, proprii defectu. Ipsum itaque vnum, ut Plato vult, & Dionysius Areopagita confirmat, omnia supereminet: excellentissimumque Dei nomen, vnum ipsum ab vtroque censetur. Huius sublimitatem ratio quoque illa nobis ostendit, quod eminentissime cause donum esse debet amplissimum, virtutisque suae praesentia se ad cuncta protendere. Vnum munus per vniuersa se propagat. Nam non mens solum vna est, & anima qualibet vna, corpus quodlibet vnum, sed etiam informis ipsa materies, rerumque priuatio vna quodammodo dicitur. Nam vnum silentium dicimus, vnam obscuritatem: Mortem vnam. Mentis tamen & animae munera ad eam usque non extenduntur. Mens enim speciem artificiosam ordinemque largitur: Anima vitam praestat & motum, informis vero & prima mundi materia, rerumque priuatio speciei & vitae est expertis. Ita ipsum vnum mentem & animam antecedit: cum munus eius latius diffundatur. Eadem ratione mens animam videtur excedere: quia vita, munus animae, non omnibus datur corporibus. Omnibus tamen his speciem ordinemque mens tribuit.

QVAE COMPARATIO INTER DEVM,  
angelum, animam, corpus.

CAP. XVI.

**E**Rgo à corpore in animam, ab hac in angelum, ab hoc in Deum ascendimus. Deus super aeternitatem est: Angelus in aeternitate est totus. Sanè tam eius operatio quam essentia, stabilis permanet. Status autem aeternitatis est proprius. Anima partim in aeternitate est, partim in tempore. Eius enim substantia eadem semper absque ulla incrementi aut detrimenti mutatione perdurat. Operatio autem, ut paulò ante monstrauimus, per temporis intervalla discurrit. Corpus temporì omnino subijcitur. Nam & substantia eius mutatur, & operatio eius omnis temporis spatium exigit. Igitur ipsum unum, supra statum motumque existit: Angelus, in statu: Anima, in statu pariter atque motu: Corpus solo in motu locatur. Unum rursus super numerum, motum locumque manet: Angelus in numero super motum & locum ponitur: Anima in numero motumque, sed super locum: Corpus numero, motui, loco subijcitur. Siquidem ipsum unum, neque numerum ullum, aut compositionem partium habet: neque vllò pacto ab eo quod est, mutatur: neque loco clauditur vllò. Angelus numerum quidem habet partium vel formarum, sed à motu locoque est liber. Anima partium habet & affectuum multitudinem, & ratiocinationis progressionem, perturbationumque uarietate mutatur: sed à loci limitibus est exempta. Corpus autem his omnibus est obnoxium.

QVAE COMPARATIO INTER PVLCHRITUDINES, Dei, Angeli, animae, corporis.

CAP. XVII.

**E**adem verò inter quattuor haec, & eorum formas est comparatio. Nempè corporis forma in multarum partium compositione consistit, loco astringitur, tempore labitur. Speciei animi, temporis quidem vicissitudines patitur, & partium continet multitudinem, sed à loci terminis est absoluta. Angeli verò species, numerum habet solam, à duobus alijs immunis existit. Dei autem, nihil istorum perperitur. Corporis vtiq; ferream vides. Visne animi quoque speciem intueri? Detrahe corporali formae ipsius naturae pondus, limitesque locorum, relinque cetera: animi iam speciem habes. Vis & angeli? Deme obsecro non loci statum solum, sed temporis quoque progressum, compositionem multiplicem retine, eam protinus nancisceris. Cupis etiam Dei pulchritudinem cernere? Ausferas insuper multiplicem illam formarum compositionem: simplicem prorsus relinque formam, confestim Dei speciem fueris consecutus. Verum quid mihi tandem subtraclis istis reliquum supererit? An tu esse aliud quam lucem, pulchritudinem ducis? Porro corporum omnium pulchritudo lumen istud est solis quod vides, tribus illis infectum: formarum multitudine, (nam multis id aspici figuris coloribusque depictum) loci spatio, temporali mutatione. Tolle sedem eius in materia, ut praeter locum reliqua duo retineat: huiusmodi prorsus est animi pulchritudo. Tolle hinc temporis, si lubet, mutationem, mitte reliquum: lumen restat sine loco, sine motu clarissimum: sed omnibus insculptum rerum omnium rationibus. Id angeli est, id angeli pulchritudo. Tolle postremo diuersarum illum numerum idearum: nam simplicem ac meram relinque lucem: instar lucis ista, quae in globo solis ipso permanet, per aerem non differtur: iam Dei pulchritudinem quodammodo comprehendis: quae tantum saltem formas reliquas antecellit, quantum lux illa solis in seipsa mera, una, inuiolata, splendorem solis per nubilosum aera disiectum, diuisum, infectum, obscuratum, exuperat. Fons itaque totius pulchritudinis Deus est. Fons itaque totius amoris est Deus. Lumen praeterea solis in aqua umbra quaedam est ad clarioris eiusdem lumen in aere. Splendor in aere, umbra similiter ad eiusdem in igne fulgorem. Fulgor in igne, umbra ad lucem solis eodem ipso in sole fulgentem. Eadem est inter quattuor illas, corporis, animi, angeli, Dei, pulchritudines comparatio. Deus nunquam ita decipitur, ut suae speciei umbram in angelo amet quidem, propriam sui ac veram negligat pulchritudinem. Neque angelus vsque adeo capitur animae speciei quae ipsius est umbra, ut sui umbra detentus figuram propriam deserat. Anima tamen nostra, quod summopere dolendum est: haec enim est totius nostrae infelicitatis origo: anima, inquam sola ita corporalis formae blanditijs delimitur, ut propriam posse habeat speciem: corporis vero formam, quae suae umbra est, suspensis oblita seclatur. Hinc horribilissimum illud apud Orpheum Narcissi fatum. Hinc horribilissimum miseranda calamitas. Narcissus quidem adolescens, id est,

temerarij & imperiti hominis animus, sui vultum non afficit: propriam sui substantiam, & virtutem nequaquam animaduertit: sed eius umbram in aqua prosequitur, et amplecti conatur: id est, pulchritudinem in fragili corpore, & instar aquae fluenti, quae ipsius animi umbra est, admiratur. Suam quidem figuram deserit, umbram nunquam assequitur: quoniam animus corpus seclando se negligit, & vsu corporis non impletur. Non enim ipsum reuera appetit corpus: sed suspensis speciem, à corporali forma, quae speciei suae imago est, illecltus, quemadmodum Narcissus, affectat: cumque id minime aduertat, dum aliud quidem cupit, aliud sequitur, desiderium suum explere non potest. Ideo in lacrymas resolutus consumitur, id est, animus ita extra se positus & delapsus in corpus, perniciosis perturbationibus cruciatur: corporisque infectus sordibus quasi moritur: cum iam corpus esse potius quam animus videatur. Quae vtiq; mortem ut Socrates deuitaret, Diotima ipsum à corpore ad animum, ab hoc in angelum, ab eo reduxit in Deum.

QVOMODO ANIMA A CORPORIS PVLCHRITUDINE ad Dei pulchritudinem eleuetur.

CAP. XVIII.

**A**Gite conuiae charissimi, Diotimam fingite ita Socratem alloquentem. Nullum corpus, o Socrates, vndique pulchrum. Nam aut in hac parte formosum, illa deforme: aut hodie formosum, aliam morum: aut ab alio pulchrum, ab alio turpe censetur. Ergo corporis pulchritudo turpitudinis contagione coinquinata, pura, vera, et prima pulchritudo esse non potest. Quinetiam pulchritudinem turpè esse nemo aliquando suspicatur: quemadmodum neque sapientiam esse insipientem: Corporum verò dispositionem quandoque speciosam, quandoque turpem putamus: eodemque tempore de illa alij aliter sentiunt. Non igitur prima & vera est in corporibus pulchritudo. Ad de quod multa corpora, vno pulchritudinis vocantur cognomine. Vna igitur est in corporibus multis pulchritudinis natura communis, per quam similiter pulchra denominantur. Vnam verò naturam huiusmodi, sicut in alio est, id est in materia, sic ab alio dependere putato. Quod enim in seipso sustentari non potest, multo minus à seipso pendere. Nunquid à materia dependebit? minime. Nihil enim deforme & imperfectum seipsum ornare potest atque perficere. Quod autem unum est, ab uno debet oriri. Quapropter vna multorum corporum pulchritudo ab vno aliquo incorporali pendet artifice. Artifex vnus omnium Deus est, qui per angelos atque animas pulchram quodammodo reddit omnem mundi materiam. Propterea neram illam pulchritudinis rationem in Deo eiusque ministris potius, quam in mundi corpore reperiri putandum. Ad eam rursus his gradibus facile, ut arbitror, ascendes o Socrates. Si oculos tibi lynceos natura dedisset, mi Socrates, ut aspectu quolibet occurrentia penetrares: formosissimum illud extrinsecus Alcibiadis tui corpus tibi turpissimum videretur. Quantum est quod amas amice? Superficies duntaxat, imò color te rapit: imò quaedam reflexio luminum, & umbra leuissima. Seu te vana imaginatio decipit: ita quod somnias potius quam quod vides, amas. Ceterum ne tibi videar penitus aduersari, sit sanè Alcibiades iste formosus. At enim quota parte formosus? omnibus profectò membris praeterquam naso simo, & elatioribus quam deceat supercilij. Haec tamen in Phaedro speciosa sunt. Sed crurum in eo crassitudo non placet. Decora haec apud Charmidem, nisi gracile te collum offenderet. Ita si homines singulos obseruabis, nullum ex omni parte laudabis. Quicquid vbiq; rectum est, colliges: figuram apud te integram ex obseruatione omnium fabricabis: ut absoluta humani generis pulchritudo, quae in multis reperitur sparsa corporibus, in animo tuo sit vnus imaginis cogitatione collecta. Cuiusque hominis figuram parui pendes o Socrates, si ad istam contuleris. Istam vero non tam corporum, quam animi tui beneficio possides. Itaque istam potius quam tuus animus fabricauit & animum ipsum eius artificem, quam exteriorem illam maneam, disperdant: sanè anato. Quid autem in animo amare te iubeo? animi pulchritudinem. Lux autem est pulchritudo corporum: lux est et animi pulchritudo: lux animi veritas: quam solam amicus tuus Plato in votis suis à deo postulare videtur. Da mihi, inquit, Deus ut meus animus pulcher efficiatur: & quae ad corpus attinent, animi pulchritudinem non impediunt: solum sapientem diuitem putem. In his Plato declarat pulchritudinem animae in ueritate sapientiaque consistere: eam à Deo hominibus tribui. Veritas vna est, et eadem nobis à Deo tributa: in uarijs eius affectibus variarij virtutum cognomenta sortitur: prout diuina demonstrat sapientia, quam à Deo praeter ceteris Plato poposcit: prout naturalia, scientia: ut humana, prudentia: ut equos facit, iustitia, ut inuictos, fortitudo: ut trā quillos, dicitur.

temperantia. Ex his duo virtutum genera numerantur. Morales, inquam virtutes, & intellectiva illis prestantiores. Intellectiva sunt. Sapientia, Scientia, Prudentia: Morales, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia. Morales propter operationes earum civiliumq; officia notiores sunt: Intellectiva propter reconditam veritatem occultiores. Præterea qui honestis moribus educatur, ut potè purior alijs facile ad intellectivas virtutes erigitur. Ideo pulchritudinem animi quæ consistit in moribus, primam considerare te iubeo, ut intelligas unam esse morum omnium rationem: per quam similiter honesti vocantur. Unam scilicet vitæ purissimæ veritatem: quæ Iustitiæ. Fortitudinis. Temperantiæ actionibus, ad veram nos perducit felicitatem. Unam igitur hanc veritatem morum, lucemq; animi speciosissimam primam diligit. Scito quinetiam supra mores ad sapientiæ, scientiæ, prudentiæ lucidissimam veritatem te protinus ascensurum, si considerabis hæc animo optimis moribus educato concedi, atq; in eis normam moraliæ vitæ relictissimam contineri. Quamvis natem uarias. Sapientiæ, Scientiæ, Prudentiæq; doctrinas contuearis: in civilitate tamen unicam esse veritatis lucem existimato: per quam omnes pulchre similiter appellantur. Eam tibi ut potè supremam animi pulchritudinem summopere amare præcipio. Sed enim una hæc in doctrinis plurimus veritas, primo omnium veritas ideo esse nequit, quoniam in alio est, quem sit in multis distributa doctrinis. Quicquid autem iacet in alio, ab alio certè dependet. Neque tamen veritas una à doctrinarum multitudine nascitur. Quod enim unum est, ab uno debet oriri. Quare oportet unam quandam esse super animam hominis sapientiæ, quæ non per diversas sit diuisa doctrinas, sed una sapientiæ sit: à cuius unica veritate veritas hominum multiplex oritur. Illam dicit Socrates, unicam unicæ sapientiæ lucem, angelis pulchritudinem esse memento, quæ tibi super animi speciem sit colenda. Ea ut in superioribus demonstravimus, corporum speciem antecellit: quia neque loco astringitur, neque secundum materiæ partes dividitur, neque corrumpitur. Antecellit & animi speciem, quia æterna est penitus, neque temporali discurfione movetur. Quoniam verò angeli lux in idearum complurium serie micat, ac supra multitudinem omnem veritas sit oportet, quæ est numeri totius origo: necesse est eam ab uno rerum omnium principio, quod ipsum unum vocamus, esse fluere. Ipsius itaque unius lux penitus simplicissima infinita pulchritudo est: quia nec materiæ sordibus inquinatur, ut corporis species: neque ut animi forma temporali progressionem mutatur, neque ut angeli species multitudine dissipatur. Omnis autem qualitas ab extraneo a ditamento secreta, dicitur apud Physicos infinita. Si in serpo sit calor, frigore & humore non impeditus, materiæ pondere non gravatus, calor dicitur infinitus, quia nisi eius libera est, neque ullis additionis limitibus coarctatur. Similiter lumen ab omni corpore liberum infinitum: nam sine modo ac termino lucet, quod natura lucet sua, quando ab illo minime terminatur. Itaque Dei lux & pulchritudo, quæ mera est, profus ab alijs omnibus absoluta, absque dubio infinita dicitur pulchritudo. Infinita verò pulchritudo immensum quoque requirit amorem. Quapropter te obsecro Socrates, ut certo quodammodo & termino cetera diligas. Deum verò amore diligas infinito, neque ullius diuini modus adit amoris.

Q V O M O D O D E V S A M A N D V S .  
C A P . X X I .

Hæc Diotima Socrati. Nos autem viri clarissimi non solum sine modo Deum, ut iubere Diotima fingitur, sed Deum solum amabimus. Ita enim mens ad deum, ut ad solem acies oculorum. Oculis autem non modo lumen præ cæteris, sed solum appetit lumen. Si corpora, si animos, si angelos diligemus, non hæc quidem, sed Deum in his amabimus. In corporibus quidem Dei umbram, in animis Dei similitudinem, in angelis eiusdem imaginem. Ita Deum ad præsens in omnibus diligemus, ut in Deo tandem omnia diligamus. Nam ita viuentes eò proficiscemur, ut & Deum & in Deo omnia videamus: amemusq; ipsum, & quæ in ipso sunt omnia. Et quisquis hoc in tempore sese Deo charitate deuouerit, se denique recuperabit in Deo. Nempè ad suam, per quam creatus est, redibit ideam: ibi rursus, si quid ipsi defuerit, reformabitur: id est suæ perpetuo colerebit. Verus autem homo & idea hominis, idem. Ideo quisque nostrum in terris à Deo separatus, non verus est homo, cum à sui idea sit formaq; disiectus: ad eam nos diuinus amor, pietasq; perducet, cum hic discepti simus & mutilati. Ideo tunc nostræ amando coniuncti, integri homines euademus, ut Deum primo in rebus coluisse videamur, quo res deinde in Deo colamus, resq; in Deo ideo venerari, ut nos ipsos præ cæteris amplectamur, & amando Deum nos ipsos videamur amauisse.

ORATIO SEPTIMA.  
CONCLUSIO SVPRADICTORVM, ET  
opinio Guidonis Caualcantis philosophi.  
C A P . I .

Postremo Christophorus Marsupinus vir humanissimus, Alcibiadis personam gesturus, his ad me uerbis conuertitur. Gratulor equidem Marsili Ioannis tui familie plurimum, quæ inter multos & doctrina & rebus gestis clarissimos equites Guidonem philosophum peperit de republica bene meritum, & aculeis dialecticæ cunctis suo seculo præcellentem, qui hunc amorem Socraticum iam moribus, quam carminibus imitatus, breui quæcumque à uobis sint dicta, perstrinxit. Phædrus enim amoris originem tetigit ex chaos uisceribus emanantem. Pausanias iam natum amorem geminam diuisit in speciem, cælestem scilicet & vulgarem. Eryximachus eius aperuit amplitudinem, dum cunctis in rebus eum sic inesse monstraret in partes geminas distributum. Aristophanes quid agat in singulis tam amplissimi Dei præsentia, declarauit, ostendens per hunc fractos homines resarci. Agatho quanta sit eius virtus, potentiaq; traiecit, cum ab eo solo beatus fieri homines disputaret. Socrates tandem à Diotima edoctus, summam quid sit amor, & qualis, & unde ortus, quot habeat partes, quorsum tendat, & quantum valeat, explicauit. Guido Caualcantis philosophus, omnia hæc artificiosissime videtur carminibus suis inseruisse. Quemadmodum solis radio speculum modo quodam percussum splendet iterum, & proxime sibi appositam lamam reflexione illa splendoris inflammat, ita ille partem anime, quam obscuram phantasiam vocant, atque memoriam ceu speculum, pulchritudinis ipsius solius locum habentis si mulacro tanquam radio quodam per oculos hausto censet ita pulsari, ut ipsa sibi ex illo alterum effingat simulacrum, quasi similari primi splendorem, quo appetendi us non aliter quam lana accendatur & amet. Addit amorem hunc in appetitu sensus accensum à forma corporis per oculos inspecta creari, sed eam ipsam formam non eo modo, quo in corporis materia est, in phantasiam imprimi, sed sine materia, ita tamen ut certi cuiusdam hominis signato in loco et tempore positi sit imago. Rursus imaginis huiusmodi speciem aliquam statim in mente lucere, quæ non amplius unius cuiusdam humani corporis ut erat in phantasia, videtur esse similitudo, sed totius æquæ generis humani ratio communis & definitio. Itaque sicut ex phantasiæ imagine à corpore sumpta, in appetitu sensus corpori dedito amor ad sensum proclius exoritur, ita ex hac mentis specie rationeq; communi, tanquam à corpore remotissima, amor alius inuoluntate nascitur à commercio corporis alienissimus. Illum in uoluptate, hunc in contemplatione locauit. Illum circa particularem corporis unius formam reuolui putat, hunc circa uniuersalem totius humani generis pulchritudinem. Hos utique amores sibipis in homine repugnare, & illum deorsum ad ferinam & voluptuosam depellere, hunc sursum ad angelicam vitam contemplatiuamq; attollere, hunc absque perturbatione uult esse, & in paucis reperiri, illum multis passionibus anxium, ac plurimos occupare. Ideo istum paucis uerbis absoluit, in alterius passionibus enarrandis prolixior. Quoniam verò eadem apertissime, quæ & uos in superioribus narrauistis, hic explicat, ea in præsentia recensere opus esse non censui. Verum cognouisse sufficiat philosophum hunc aliquam chaos informitatem, qualem supra uos posuistis, in amoris procreatione misuisse, dum diceret obscuram phantasiam illuminari, atque ex illius obscuritatis & huius luminis mixtione, amoris originem ducere. Amorem præterea geminum illi cælestem atq; vulgare quæ in eius uerbis non uideat? Originem quinetiam illius primam in diuinorum, secundam in corporum collocat pulchritudine. Solem namq; Deum lucem, radium, corporum formam intelligit. Finem postremo suum uult eiusdem principis respondere, dum alios usq; ad formam corporis, alios usq; ad Dei speciem amoris prouehit investigatione.

S O C R A T E S F V I T V E R V S  
amator, & cupidini similis.  
C A P . I I .

DE amore hæc tenus. Ad Alcibiadem & Socratem ueniant. Postquam conuiuie satis amantium deum laudauerant, reliquerat ut dei huius cultores legitimi laudarentur. Maximè omnium legitime amasse Socrates ab omnibus perhibetur. Is cum per otium uitam palam sine ulla prorsus dissimulatione in castris. Cupidinis militasset, à nullis unquam notatus est quasi minus honeste quenquam dilexerit. Huius uita seueritas & alienorum scelerum correptio

corruptio frequens, multos & magnos viros, ut solet veritas, inferos reddiderat, Anatum, Melitum, Lyconem praesertim civis in re publica potentissimos: Thrasymachum, Polium & Calliam oratores, Aristophanem praeterea comicum acerrimum habuit insectatorem. Sed neque civis illi in accusatione, qua Socratem in iudicium traxere, inhonestos amores inscripserunt: neque oratores eius hostes tale quicquam Socrati obiecerunt: neque Aristophanes comicus, licet alia multa & absurda in Dionysius colligat in Socratem maledicta. An censetur cum si iam secula se laebe conquinasset, imo nisi fuisset ab huius criminis suspitione remotissimus, venenosus talium detraكتورum linguas euasurum fuisse? Nunquid optimi viri illum in superioribus animaduertissent, quod dum Plato ipsum fingit Amorem, Socratis omnem pingit effigiem, ac numinis illius figuram ex Socratis persona describit, quasi verus amor, ac Socrates simul sit, atque ideo ille praeter ceteros verus sit legitimusque amator? Agite iam Amorem picturam in animum reuocare. Videbitis in ea Socratem figuratum. Socratis personam ante oculos ponite. Macilentum, aridum, squalidumque; videbitis: hominem scilicet naturam melancholicum ut fertur, atque hirsutum. Extenuatum inedia. Incuria sordidum. Nudum praeterea, id est simpliciter & veteri operum palliolo. Sine calceis incedentem. Ita semper solitum incedere Socratem apud Platonem Phaedrus ostendit. Humilem perque infima volantem. Humilem semper Socratis desixus erat aspectus, ut ait Phaedo. Loca in super vilia frequentabat: aut enim in Simonis coriarii, aut in sculptorum officinis obuersabatur. Rusticus & incomptis utebatur vocabulis: quod illi obicit Callicles in Gorgia. Adeo praeterea mitis, ut multis lacepsitus inuicis, saepe etiam pulsatus, ne commotus quidem animo fuisse tradatur. Sine domicilio. Interrogatus Socrates cuius esset: Mundanus inquit. Ibi enim patria, ubi bonum. Sed neque huic proprius latus, neque mollis lectus, neque delicatus victus, neque speciosa supellex. Ad fores in via sub diuo dormiens. Haec apertum pectus & cor patens omnibus in Socrate nostro significant. Praeterea quod & visu delectabatur atque auditu, quae fores animi sunt: quod etiam securus & intrepidus incedebat, iacebatque; etiam si oportuisset pallio obuolutus ubique. Semper egerus. Quis nesciat Socratem sculptoris & obstetricis fuisse filium? & usque ad senectutem in sculpendis lapidibus manu propria victum quiescisse, nec habuisse unquam unde se satis & filios aleret? Hic inopiam suae mentis passim constebatur, interrogans omnes, nihil scire se predicans. Virilis: erat enim constantis animi, inuictaque sententiae, qui etiam Archelaum Macedonem, & Scopam Cranonium, Eurilochumque; Larissum aspernatus est alto animo: cum ab eis missas pecunias non accepit: neque ipse ad eos voluit proficisci. Audax, ferocisque. Quanta eius fuerit in rebus bellicis fortitudo, Alcibiades in conuiuium explicat copiosissime: cui Socrates cum in Potidea vicisset, victoriam sponte dicitur concessisse. Vehemens: erat quippe ut recte Zopyrus Physionomus iudicauerat, concitatusissimus. Saepe vero inter loquendum agente id orationis vehementia iactare digitos solebat, & crines vellere. Tacundus. Huic rationes in utraque partem ferme pares dum discereret, suppetebant. Hic licet incomptis verbis uteretur, ut in conuiuium Alcibiades ait, magis tamen quam Themistocles & Pericles, omnesque ceteri oratores audientium animos commouebat. Pulchri & boni insidiator. Insidiatum sibi semper fuisse Socratem Alcibiades inquit, eorum quippe qui honesta indole praediti videbantur, amore captus, eosdem rationibus suis ad Philosophiae studia Socrates capiebat. Callidus sagaxque. Venator. Socratem venari solitum ex corporis forma diuinam speciem in superioribus satis est dictum: & in Protagora Plato testatur: Machinator. Multis modis, ut indicant Platonis dialogi, Sophistas confutabat, adolescentes exhortabatur, modestos viros erudebat. Prudenti & studiosus. Fuit enim tanta prudentia, & in praesagiendo tam perspicax: ut quisquis contra eius consilium quicquam auderet, perderetur, quod in Theaegora a Platone narratur. Per omnem vitam philosophans. Hic in sua illa apud indices defensione iudicibus edixit, si ea conditione eum morte absoluerent, ut nunquam postea philosophetur, se mori malle quam philosophari desinere. Incantator, fascinator, venescus atque Sophista. Nam Alcibiades ait se magis Socraticis verbis quam Marfiae Olympique; excellentium muscorum melodia mulceri. Demonem vero illi fuisse familiarem, & accusatores sui & amici testantur. Sophistam quoque Socratem Aristophanes comicus appellauit, atque etiam sui accusatores. Quippe cui aequa esset hortandi & dehortandi facultas. Inter sapientiam & insipientiam medius. Cum omnes homines ignorantes sint, inquit Socrates, hoc ego tantum a ceteris differo, quod meam ignorantiam non ignoro: cum alij prorsus ignorent. Ita erit inter sapientiam & ignorantiam medius: quia licet res ipsas nesciret, suam tamen ignorantiam cognoscebat. Quas ob res Socratem amorem similitum ideoque verissimum amatorem post amorem ipsum lau-

dandum Alcibiades iudicauit, ut in eius laude intelligamus omnes qui similiter amant esse laudatos, Quae Socratis laudes sint, hic au distis, & in Platonis verbis Alcibiadis ore patent clarissime: quo etiam pacto amabat Socrates, cognoscere potest qui Diotimae doctrinae meminerit. Ita enim amauit Socrates, ut supra Diotima docuit.

DE AMORE FERINO, QUOD INSANIAE SPECIES EST. CAP. III.

Verum interroget forte quisquam. Quid hominum generi Socraticus amor iste conducatur: cur tantis sit laudibus celebrandus, quid obstit contrarius. Dicam equidem alius aliquando exorsus. Plato noster furorem in Phaedro mentis alienationem desinit. Alienationis autem duo genera tradit. Alteran ab humanis morbis, alteram a Deo provenire existimat. Insaniam illam: hanc diuinum furorem nuncupat. Insania morbo infra hominis speciem homo deicitur: & ex homine brutum quodammodo redditur. Insania duo sunt genera. Vnum cerebri, alterum cordis vitio nascitur. Cerebrum saepe adusta bili, saepe sanguine adusto, nonnunquam atra bili nimium occupatur. hinc dementes homines quandoque redduntur. Qui adusta bili vexantur: vel a nemini lacepsiti vehementissime irascuntur: alte vociferantur: in obuios irruunt: seipsos & alios caedunt: Qui sanguine adusto laborant, effusos nimium in risus prorumpunt: praeter omnium consuetudinem se iactant: mirabilia de se pollicentur: cantu gestunt, exultantque; tripudio. Qui bili praemuntur atra, merent perpetuo: ipsi sibi somnia fingunt, quae vel praesentia expauescant, vel futura formident. Atque haec quidem tres insaniam species cerebri sunt defectu. Quando enim humores illi retinentur in corde, angustiam & sollicitudinem pariunt, non demenciam: tunc vero amentiam, quando caput oppresserint. ideo cerebri vitio dicuntur contingere. Cordis autem morbo eam proprie insaniam fieri arbitramur, qua affliguntur hi qui perditam amant. His falso Socraticissimum nomen amoris tribuitur. Verum ne forte nimis contra multos sapere videamur, dispositionis gratia nos etiam nomine ad istos namur.

AMOR VULGARIS EST FASCINATIO QUaedam. CAP. IIIII.

Vos autem aurium, ac mentis intentionem dicendis accomodate. Sanguis in adolescentia subtilis est, clarus, calidus atque dulcis. Procedente enim etate subtilioribus partibus resolutus, fit crassior: propterea fit & obscurior. Nempe quod tenue rarumque est, purum est atque perlucidum: contrarium vero contrarium. Cur calidus atque dulcis? quia vita, & viuendi initium, ipsa scilicet generatio, in calore & humore consistit, ac semen prima uiuentium genitura calidum est & humidum: natura talis in pueritia & adolescentia riget. Insequentibus etatibus paulatim in contrarias qualitates siccitatem & frigiditatem necessario permutatur. Ideo sanguis in adolescente subtilis est, clarus, calidus atque dulcis: quia subtilis, clarus: quia recens, calidus atque humidus: quia calidus & humidus est, ideo dulcis esse videtur. Dulcedo enim fit in calidi & humidi mixture. Quorsum haec? nempe ut intelligatis spiritus in hac etate subtiles & claros, esse calidos atque dulces. Hi enim cum a cordis calore ex puriori sanguine generentur, tales in nobis sunt semper, qualis est & sanguinis humor. Quemadmodum vero spirituum vapor huiusmodi creatur ex sanguine: ita & ipse similis sibi radios per oculos quasi vitreas fenestras emittit. Atque etiam sicut cor mundi sol suo circuitu lumen, perque lumen virtutes suas ad inferiora demittit: sic corporis nostri cor, motu suo quodam perpetuo proximum sibi sanguinem agitans ex eo spiritus in totum corpus, perque illos luminum scintillas, per membra diffundit quidem singula, per oculos autem maxime. Ad altissimas quippe corporis partes spiritus maxime cum sit leuissimus euolat: eiusque lumen per oculos cum ipsi perspicui sint atque omnium partium nitidissimi, ubi rursus emicat. Inesse vero oculis & cerebro lumen aliud licet exiguum, animalia multa quae noctu vident, testimonio esse possunt, quorum in tenebris corruscant oculi. Ac etiam si quis certo quodam modo oculi angulum digito presserit, contorseritque; circumlucens quendam videtur intra se lucidum intueri. Fertur & diuus Augustinus oculos adeo claros & nitidos habuisse, ut cum acris quencquam intueretur, cogeret eum quasi ad solis fulgorem vultum submittere. Tiberius quoque praegrandibus fuisse oculis traditur, & qui quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent: sed ad breue, & cum primo e somno patuissent, deinde rursus hebescebant. Quod autem radius emissus ab oculis vaporem secum spiritualem trahat, & vaporis sanguinem, ex eo perspicimus, quod lippi & rubentes



oculi spectantis proximè oculos radij sui emissionem cogunt morbo simili laborare. Vbi apparet & radium usque ad obuium illum protendi, & cum radio una vaporem corrupti sanguinis emanare: cuius contagione oculis spectantis inscitur. Scribit Aristoteles mulieres, quando sanguis menstruus defluit, intuitu suo speculum sanguineis guttis sepe sedare. Quod ex eo fieri arbitror, quia spiritus qui vapor sanguinis est, sanguis quidam tenuissimus videtur esse, adeo ut aspectum effugiat oculorum: sed in speculi superficie factus crassior, clare perspicitur. Hic si in rariorem materiam aliquam ceu pannum, aut linum incidat, ideo non videtur, quia in superficie rei illius non restat, sed penetrat. Si in densam quidem, sed asperam, sicut saxa, lateres, & similia, corporis illius in equalitate dissipatur & frangitur. Speculum autem propter duritiem sistit in superficie spiritum: propter equalitatem, lenitatemque seruat intactum: propter nitorem, spiritus ipsius radium inuadit & auget: propter frigiditatem rarissimum illius nebulam cogit in guttulas. Eadem ferme ratione quoties hiantibus faucibus obnixè anhelamus in vitrum, eius faciem tenuissimo quodam salis & rore conspergimus. si quidem halitus a salua euolans, in ea materia compressus relabitur in saluam. Ergo quid mirum si patefactus oculus & intentus in aliquem, radiorum suorum aculeos in adstantis oculos iaculatur? atque etiam eum aculeis istis, qui spirituum vehicula sunt, sanguineum vaporem illum, quem spiritum nuncupamus, intendit? Hinc virulentus aculeus transuerberat oculos: cumque à corde percipientis mittatur, hominis percussit præcordia, quasi regionem propriam repetit: cor vulnerat: inque eius duriori dorso hebescit, reditque in sanguinem. Pe regrinus hic sanguis à faucibus hominis natura quodammodo alienus, sanguinem eius proprium inscit: infectus sanguis egrotat. Hinc duplex sequitur fascinatio. Aspectus fetidi senis, & mulieris menstrua patientis, puerum fascinat. Aspectus adolescentis fascinat seniore. Quoniam verò senioris humor frigidus est atque tardissimus, vix dorsum cordis attingit in puero: & ineptus ad transitum, cor nisi propter infantiam sit molliissimum, parum admodum commouet. Hæc ideo leuis fascinatio est: illa verò grauissima, per quam iunior transigit præcordia senioris. Hoc illud est amici optimi, de quo Platonius Apuleius conqueritur. Causa, inquit, omnis & origo præsentis huius doloris, etiam medela ipsa, & salus unica mihi iute ipse es. Isti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia, acerrimum meis medullis commouent incendium. Ergo miserere tua causa pereuntis. Ponite obsecro ante oculos Phædrum Myrthimum, & Thebanum illum eius amore captum Lysiam oratorem. Lysias in Phædri vultum inhiat: Phædrus in oculos Lysias scintillas suorum defigit oculorum, cumque scintillas una transmittit, & spiritum. Radius Phædri radio Lysias facile copulatur: spiritui quoque facile iungitur spiritus. Vapor huiusmodi à Phædri corde genitus Lysias statim petit præcordia: quorum hebetudine sit compactior, & in priorem Phædri relabitur sanguinem: ita ut Phædri sanguis, quod mirum est, iam in corde sit Lysias. Hinc ad clamorem confestim prorumpit uterque: Lysias ad Phædrum: Cor meum Phædre, charissima viscera. Phædrus ad Lysiam: O spiritus meus, o meus sanguis Lysias. Sequitur Phædrus Lysiam, quia cor suum poscit humorem. Sequitur Phædrus Lysias, quia sanguineus humor uas proprium postulat, suam exigit sedem. Verum Lysias Phædrum sectatur ardentius. Facilius enim cor sine minima humoris sui particula, quam humor ipse sine corde proprio uiuit. Riuus fonte magis quam fons riuulo indiget. Igitur ut ferrum qualitate magnetis accepta, ad lapidem hunc trahitur quidem, lapidem verò non attrahit: ita Lysias Phædrum magis quam Phædrus Lysiam sequitur.

QUAM FACILE AMORE IRRETIAMVR.  
CAP. V.

AN potest dixerit quispiam, tenuis radius, leuissimus spiritus, pauculus sanguis Phædri, tam cito, tam vehementer, tam perniciosè totum Lysiam inquinare? Hoc utique mirum non videbitur, si ceteros morbos, qui contagione nascuntur, considerabitis, si pruritus, si scabiem, si lepram, pleuresim, phthisim, dysenteriam, lippitudinem, epidimiam. Amatoria verò contagio facile sit, & grauissima omnium pestis euadit. Quippe spiritualis vapor ille sanguis: ab adolescente seniore prorsus iniectus, quattuor habet, ut supra diximus, qualitates. Clarus est, subtilis, calidus atque dulcis. Quia clarus, oculorum & spirituum claritati in seniore maxime consonat, blanditur & allicit: quo fit ut auide ab illis hauriatur. Quia subtilis, celerrime conuolat in præcordia: inde facillimè per uenas & arterias in corpus permanat inuersum. Quia calidus, vehementer agit & mouet, & fortius senioris sanguinem inscit, eumque in suam conuertit naturam, quod Lucretius ita tetigit.

Hinc in te primum Veneris dulcedinis in cor

Stillauit gutta: & successit frigida cura.

Præterea quia dulcis, fouet viscera quodammodo, pascit atque oblectat. hinc fit ut totus viri sanguis in iuuenilis sanguinis naturam mutatus, iunioris illius appetat corpus, quo suas uenas inhabitet, & recentis sanguinis humor, uenas quoque recentes & teneras illabatur. Fit etiam ut voluptate simul & dolore eger hic tangatur.

Voluptate propter uaporis illius, & sanguinis claritatem atque dulcedinem. Illa siquidem allicit, hæc oblectat. Dolore propter eius subtilitatem atque calorem. Illa quippe viscera diuidit & discerpit: hic homini quod suum est aufert, & in alterius mutat naturam, per quam sanè mutationem eum in se quiescere non permittit: sed ad eum semper, à quo infectus est, trahit. Hoc ita Lucretius innuit.

Idque petit corpus mens unde est faucia amore.

Nanque omnes plerumque cadunt in uulnus, & illam emicat in partem sanguis unde icimur ictu.

Et si comminus est hostem rubet occupat humor.

In his carminibus Lucretius non aliter uult sanguinem hominis oculorum radio vulnerati in uulnerantem prolabi, quam hominis gladio cæsi sanguis prolabitur in cedentem. Huius, ut ita dicam, miraculi si rationem requiritis afferam. Vulnerat Hector Patroclum, ac perimit. Patroclus Hectorem inspicit uulnerantem. Unde eius cogitatio iudicat uiscendum. confestim ad uindictam bilis accenditur, ab ea sanguis inflammatur, & ad uulnus euestigio properat, tum ut partem illam corporis foueat, tum etiam ad uindictam, eodem concurrunt & spiritus: quia leues sunt, ad Hectorem usque volantes in eum migrant, eius calore seruantur ad tempus pua ad horas septem: eo ipso in tempore si Hector cadaueris uulnus comminus intentus inspicit. uulnus cruorem versus Hectorem eicit: potest enim cruor versus hostem quodammodo effluere, tum quia nondum calor omnis extinctus est, nondum agitatio quiescit interior, tum quia paulo ante in eum concitus fuerat, tum denique quia sanguis spiritus repetit suos, atque etiam spiritus suum attrahant sanguinem. Simili quodam pacto hominis amore faucibus sanguinem festinare in ferientem & Lucretius innuit, & nos summopere comprobamus.

DE MIRO QUODAM EFFECTU VULGARIS AMORIS.  
CAP. VI.

DICAMNE viri castissimi, quod sequitur, an potius prætermittam? Dicam certe postquam res ipsa postulat, etsi dictu uideatur absurdum. At quis turpia non turpiter dixerit? Tanta permutatio senioris hominis uirgens ad iunioris similitudinem facit, ut hic totum suum corpus in illum transferre & totum illius in se transfundere studeat, ut uel recens humor uasa recentia, uel uasa teneriora teneriore consequantur humorem. Hinc multi inter se turpissime facere compelluntur. Cum enim genitale semen à toto corpore defluat, solo huius iactu, uel tractu totum corpus tradere se posse confidunt, & totum accipere. Id in seipso philosophus Epicureus ille præsentit Lucretius amantium omnium inseliciissimus:

Sic igitur Veneris qui telis accipit ictus,

Siue puer membris muliebribus hunc iaculatur

Seu mulier toto iactans de corpore amorem,

Unde feritur, eò tendit gestitque coire:

Et iacere humorem in corpus de corpore ductum.

Affigunt auide corpus, iunguntque saluas

Oris: & inspirant pressantes dentibus ora

Nequicquar: quoniam nil inde abire possunt,

Nec penetrare & abire in corpus corpore toto.

Nam facere interdum uelle & certare uidentur.

Usque adeo cupide Veneris compagibus hærent,

Membra uoluptatis dum ui labefacta liquefcunt.

Hæc Lucretius Epicureus. Quod etiam totum in se capere amatam amantes cupiant, Artemista Mausoli regis Carie uxor ostendit: quæ supra affectionis humanæ fidem uirum suum amauisse dicitur: eiusque defuncti corpus redegeisse in puluerem: & aquæ inditum ebibisse.

VULGARIS AMOR EST SANGVINIS PERTURBATIO.  
CAP. VII.

ESSE uerò hanc in sanguine passionem, illud argumento est, quod æstus huiusmodi alterna requie caret. Continua uero febris

pro febris à phisicis in sanguine ponitur. quæ autem horas sex quieti relinquit, in pituita: quæ diem unum, in bili: quæ duos, in atræ bilis humore. In sanguine igitur illam meritò collocamus. In sanguine videlicet melancholico: ut in oratione Socratis audiuistis. hunc sanguinis contagionis semper affixio comitatur.

QUOMODO AMANTES FIUNT AMATI  
SIMILES. CAP. VIII.

Deo nemo vestrum miretur si quem amantem audierit amati sui similitudinem aliquam vel figuram suo in corpore contraxisse. Pregnantes sepe mulieres vinum quod avidissime cupiunt, vehementer excogitant: vehemens cogitatio, spiritus mouet interiores, atque in his excogitate rei pingit imaginem. Isti sanguinem mouent similiter, & in mollissima fetus materia, vini imaginem exprimunt. Amator autem ardentius quam prægnantes, suas cupit delicias: vehementius quoque firmius cogitat. Quid mirum si usque adeo hærentes & infixi pectore vultus ab ipsa cogitatione purgantur in spiritu: à spiritu statim in sanguine insigantur: præsertim cum in Lysæ venis iam mollissimus sanguis Phædri sit genitus, ut facillime possit Phædri vultus in suippis sanguine relucere? Quoniam verò membra corporis singula, ut quotidie crescant, ita sumpto alimoniae vore quotidie reuiuiscunt: sequitur ut in dies corpus cuiusque hominis, quod sensim exaruit, paulatim reficiatur. Reficiuntur autem membra à sanguine ex venarum riuulis emanante. Ergo miraberis si certa similitudine pictus sanguis eandem membris impresserit: ut Lysias tandem Phædro in nonnullis vel coloribus vel lineamentis, aut affectibus, aut gestibus enasisse similis videatur.

QUIBVS PRÆCIPVE IRRETIAMUR.  
CAP. IX.

Quæret forsitan aliquis: à quibus præcipue & quo pacto illaqueentur, & quomodo soluantur amantes. Feminae præsertim viros facillè capiunt: facilius autem illæ, quæ masculam quandam indolem præ se ferunt: & tanto facilius masculi, quanto similitores sunt viris quam feminæ, & sanguinem spiritumque habent lucidiorem, calidiorem, subtiliorem: quæ in re amatoria consistit illaqueatio. Ex maribus autem illi viros, seu meliores velocissime fascinoant, qui sanguinei sunt potissimum, & quadam ex parte cholericis, oculos amplos habent, glaucos atque nitentes: præcipue verò si castri viuant, neque per cotum claro humorum succo exhausto serenos vultus fedauerint. Hæc enim ad ipsas sagittas proprie emittendas quæ cor vulnerant, ut supra tetigimus, requiruntur. Errantur præterea cito quibus nascentibus Venus fuerit in Leone, vel Luna Venerem vehementer aspexerit, & qui eadem complexione sunt præditi. Phlegmatici in quibus dominatur pituita, nunquam: Melancholici, in quibus atræ bilis, vix quidem capiuntur: sed capti, nunquam postea liberantur. Quando sanguineus deuincit sanguineum, leue iugum est, suæque vinculum, similis namque complexio mutuum creat amorem. Huius præterea humoris suauitas spem & fiduciam præstat amanti. Quando cholericus cholericum, intolerabilior seruitus. Vicissitudinem quidem nonnullam beneuolentiæ in his facit complexionis similitudo: sed igneus ille bilis humor crebra illos iracundia turbat. Quando sanguineus cholericum, aut contra, propter suavis simul & acris humoris commixtionem alternatio quædam prouenit iracundiæ & gratiæ, voluptatis atque doloris. Cum sanguineus melancholicum ligat, nodus perpetuus non miserrimus. Sanguinis quippe dulcedo melancholici amari tudinem temperat. Cum verò cholericus illaqueat melancholicum, pestis omnium perniciosissima. Acutissimus adolescentis humor senioris viscera passim illabitur. Est mollis stamma medullas. Vritur infelix amator. Cholera ad iracundiam cædesque pronocat. Melancholia ad mororem & perpetuam querimoniam. Iis sepe idem qui Phyllidi, Didoni, Lucretio, amoris est exitus. Phlegmaticus autem seu melancholicus adolescens propter sanguinis & spirituum crassitudinem capit neminem.

MODVS ILLAQUEATIONIS.  
CAP. X.

Quo autem pacto fascinoentur amantes, satis supra dixisse videtur, si modo illud addamus, mortales tunc summopere fascinoari, quando frequentissimo intuitu aciem visus ad aciem dirigentes, lumina iungunt luminibus, & longum miseris comburant amorem. Huius profecto morbi, ut Museo placet, causa omnis & origo est oculus. Ideo si quis vitore polleat oculorum,

licet minus in reliquis membris compositus sit, sepius intuentes ea ratione qua diximus, insanire compellit. Qui contra dispositus est, ad moderatam quandam beneuolentiam inuitat potius quam ardentem. Reliquorum præter oculos membrorum concinnitas non cause vim ad egrotationem huiusmodi, sed occasiois impulsam videtur habere. Talis quippe compositio eminens prospicientem, ut proprius accedat, hortatur: deinde cernentem cominus in ipsa sui consideratione diuissimè detinet: immortantem verò solus ipse ferit intuitus. Ad moderatum autem amorem illum diuinitatis participem, de quo in hoc conuio ut plurimum disputatur: non oculus solus, ut causa: sed partium cunctarum concordia iucunditasque concurrens.

CVRATIO AMORIS.  
CAP. XI.

Hactenus quomodo & à quibus irretiamur, tractauimus: restat ut quomodo soluamur, paucis doceamus. Solutio verò duorū duplex: altera quidem nature: altera diligentia. Naturalis est, quæ certis temporis intervallis perficitur. Quæ non ad hunc soluitur, sed ad omnes attingit morbos. siquidem in cute pruritus eatenus permanet, quatenus tabidi sanguinis fex in venis, aut falsedo pituita riget in membris. Defecato sanguine & pituita demollita pruritus desinit: & secedit cutis maculæ abolerentur. Euacuationis tamen matura diligentia confert plurimum. Repentina euacuatio, vel vinctio periculosissima indicatur. Inquietudo quoque amantium tandiu necessario perseverat, quandiu infectio illa sanguinis per fermentationem iniecta visceribus permanens graui cor premit cura. Vultus alit venis: cæcis membra flammis adurit, à corde siquidem in venas: à venis in membra fit transitus. hæc denique expurgata amantium, imò verò amantium cessat inquietudo. Id longum in omnibus requirit temporis spatium: in melancholicis verò longissimum: præsertim si Saturni influxu fuerint irretiti. adde & amarissimum, si Saturno retrogrado, vel Marti coniuncto, vel Soli opposito mancipati sint. Aegrotant & illi diuissimè, in quorum natiuitate. Venus in domo Saturni fuerit, vel Saturnum Lunamque vehementer aspexerit. Addenda est naturali huic purgationi diligentissime artis industria. Cauendum in primis ne immatura euellere, vel amputare tentemus: neque summo cum periculo discindamus, quæ tutius dissiuere possumus. consuetudinis intermissio faciendæ. Summopere verò cauendum ne lumina oculorum luminibus commungantur. Si quid in amati animo vel corpore vitij est, diligenter animo reuoluendum. Plurimis, varijs, grauibus negotijs animus applicandus: sepe minuendus sanguis est: vino vitandum claro, nunquam etiam ebrietate, ut veteri sanguine vacuato, nouus sanguis accedat, nouus & spiritus. Exercitatione sepe ad sudorem usque vitij præstat: per quam corporis meatus ad expurgationem faciendam aperiantur. Ea insuper omnia quæ Phisici ad cordis præstadium adhibent & cerebri alimentum, profunt quàm plurimum. Sepe etiam coeundum Lucretius præcipit.

Sed fugitare decet simulacra: & pabula amoris  
Abstertere sibi atque aliò conuertere mentem,  
Et iacere humorem coniectum in corpora quæque,  
Nec retinere semen conuersum vnius amore.

QUAM NOXIVS VVLGARIS AMOR.  
CAP. XII.

Sed ne diutius de insania loquentes insaniamus, sic breuibus concludamus. Insaniæ species quædam est anxia illa sollicitudo, quæ vulgares amantes diu nocteque vexantur: qui amore durante bilis incendio primum, deinde atræ bilis adustione afflicti, in furias, ignemque ruunt: & quasi cæci quò præcipitentur ignorant. Quàm perniciosus adulterinus hic amor tam amatis quàm amantibus sit, Lysias Thebanus et Socrates apud Platonem in Phædro demonstrat. Hoc itaque furore homo in bestia naturam deuoluitur.

QUAM VTILIS DIVINVS AMOR, ET DE  
QUATTUOR EIVS SPECIEBUS. CAP. XIII.

Diuino autem furore super hominis naturam erigitur, & in Deum transit. Est autem furor diuinus illustratio rationalis anime: per quam Deus animam à superis delapsam ad infera, ab inferis ad supera retrahit. Lapsus anime ab ipso vno rerum omnium principio ad corpora, per quattuor gradus efficitur, per mentem, rationem, opinionem atque naturam. Nam cum in omni rerum ordine sex gradus existant, quorum summum tenet ipsam vim, in finium corpus, media verò sunt quattuor quæ prædiximus: necesse

est quicquid à primo ad vltimum labitur, quattuor per media cade-  
re. Ipsum vnum rerum omnium terminus & mensura, confusions  
& multitudinis expers. Mens angelica multitudo quidem idea-  
rum, sed stabilis & eterna. Ratio animae multitudo notionum ar-  
gumentationumq; mobilis, sed ordinata. Opinio autem inordina-  
ta, & mobilis imaginum multitudo: sed substantia punctuq; vni-  
ta: cum anima ipsa in qua est opinio, vna substantia sit nullum oc-  
cupans locum. Natura, id est nutriendi vis ab anima, & anima-  
lis complexio similiter, nisi quod per corporis puncta diffunditur.  
Corpus autem indeterminata partium & accidentium multitudo  
subiecta motui, & substantia punctis momentisq; diuisa. Haec om-  
nia respicit anima nostra, per haec & descendit, per haec & ascen-  
dit. Ut enim ab ipso vno quod omnium principium est, produci-  
tur, vnitatem quandam sortita est: quae omnem essentiam eius vi-  
res operationesq; vnit: à qua & ad quam ita cetera, quae in ani-  
ma sunt, se habent, sicut à centro & ad centrum circuli lineae.  
Vnit vero non modo animae partes inuicem & ad totam animam:  
sed animam totam ad ipsum vnum rerum omnium causam. Ut au-  
tem diuinae mentis radio claret, rerum omnium ideas per mentem  
actu stabili contemplatur. Ut seipsam respicit, rationes rerum vni-  
uersales cogitat: & à principijs ad conclusiones ratiocinatione di-  
scurrit. Ut corpora respicit, particulares rerum mobilium formas  
atque imagines per sensus acceptas opinione volutat. Ut mate-  
riam attingit, natura velut instrumento vtitur, quo vnit mate-  
riam, mouet & format. Vnde generationes, augmenta, & eo-  
rum contraria proficiuntur. Cernit igitur ab vno quod super  
aeternitatem in aeternam multitudinem labitur, ab aeternitate in  
tempus, à tempore in locum atque materiam. labitur inquam,  
quando ab ea puritate, qua nata est, longius corpus amplecten-  
do discedit.

Q V I B V S G R A D I B V S D I V I N I  
furores animam extollunt.

C A P. XIII.

Q Vapropter sicut per quattuor descendit gradus, per quattuor  
ascendat necesse est. Furor autem diuinus est, qui ad supera  
tollit, ut in eius definitione constitit. Quattuor ergo diuini furoris  
sunt species. Primus quidem poeticus furor. Alter mysterialis.  
Tertius vaticinium. Amatorius affectus est quartus. Est autem  
poesis à musis, Mysteriorum à Dionysio, Vaticinium ab Apolline,  
Amor à Venere. Redire quippe ad vnum animus nequit, nisi ipse  
vnum efficiatur. Multa vero effectus est: quia est lapsus in corpus  
in operationes varias distributus, & ad corporaliū rerum multu-  
tudinem respicit infinitam. Ex quo partes eius superiores penè ob-  
dormiunt, inferiores alijs dominantur. Ille torpore, hae perturban-  
tione afficiuntur. Totus autem animus discordia & inconcinnitate  
te repletur. Poetico ergo furore primum opus est, qui per musicos  
tonos, quae torpent suscitetur: per harmonicam suauitatem quae tur-  
bantur, mulceat: per diuersorum denique consonantiam, disonan-  
tem pellat discordiam, & varias partes animi temperet. Neque sa-  
tis hoc est. Multitudo enim adhuc & diuersitas restat in animo.  
Accedit ergo mysterium ad Dionysium pertinens: quod expiationi-  
bus, sacrisq; & omni cultu diuino partium omnium intentionem in  
mentem, qua Deus colitur, dirigit. Vnde cum singulae animi par-  
tes ad vnam mentem redactae sint, iam totum quoddam vnum ex  
pluribus factus est animus. Tertio vero ad hoc opus est furore,  
qui mentem ad vnitatem ipsam animae caput reducat. hoc Apollo  
per vaticinium efficit. Nam cum anima supra mentem in vnitatem  
surgit, futura praesagit. Demum cum anima facta est vnum,  
vnum inquam quod in ipsa natura & essentia animae est, restat vt  
illico in vnum quod est super essentiam, id est Deum, se reuocet.  
Hoc caelestis illa Venus per amorem, id est, diuinae pulchritudinis  
desiderium, boniq; ardorem explet. Primus itaque furor inconcin-  
na & dissonantia temperat. Secundus temperata vnum totum ex  
partibus efficit. Tertius vnum totum supra partes. Quartus in  
vnum quod super essentiam, & super totum est ducit. Plato in  
Phaedro, mentem diuinis deditam, in anima hominis aurigam vo-  
cat: Vnitatem animae, aurigae caput: Rationem, opinionemq; per  
naturalia discurrentem, equum bonum: Phantasiā confusam, ap-  
petitumq; sensuum, malum equum: Animae totius naturam, cur-  
rum: quia motus suus tanquam orbicularis à se incipiens in se deni-  
que redit, dum suū ipsius naturam animaduertit. Vbi consideratio  
eius ab anima profecta in eandem reuertitur. Alas animo tribuit,  
per quas in sublime feratur: quarum alteram putamus indagati-  
onem illam esse, qua mens assidue ad veritatem anntitur: Alter-

ram boni desiderium, quo nostra voluntas semper afficitur. Haec  
partes animae suam amittunt ordinem, quando perturbante corpore  
confunduntur. Primus itaque furor bonum equum, id est rationem  
opinionemq; à malo equo, id est, à phantasia confusa & sensuum  
appetitu distinguit. Secundus malum equum bono, bonum aurigae,  
id est, menti subijcit. Tertius aurigam in caput suum, id est, in  
vnitatem mentis apicem dirigit. Postremus caput aurigae in caput  
rerum omnium vertit. Vbi aurigae beatus est, & ad praesepe, id  
est, ad diuinam pulchritudinem sistens equos, id est, accommodans  
omnes sibi subiectas animae partes, obijcit illis ambrosiam, & super  
ipsam nectar potandum, id est, visionem pulchritudinis, & ex vi-  
sione letitiam. Haec quattuor furorum opera sunt. De quibus ge-  
neratim in Phaedro disputat, proprie vero de poetico furore in Ione,  
de amatorio in Coniuiio. Omnibus his furoribus occupatum fuisse  
Orpheum libri eius testimonio esse possunt. Amatorio maxime Sapo-  
pho, Anacreontem & Socratem fuisse correptos accepimus.

OMNIBVS HIS FVRORIBVS AMOR PRAE-  
stantior est. C A P. XV.

Omnium potentissimus & praestantissimus est amatorius. Po-  
tentissimus inquam, propterea quod omnes alij ipso necessario  
indigent, neque enim possum, neque mysteria, neque vaticinium si-  
ne ingenti studio, flagranti pietate, & sedulo diuinitatis cultu con-  
sequimur. Studium vero, pietatem, cultu quid aliud dicimus quam  
amorem? Igitur omnes amoris potentia constant. Est etiam praes-  
tantissimus, quoniam ad hunc tanquam ad finem alij referuntur.  
Hic autem proximè Deo, qui nos copulat. Hos vtiq; furoribus quat-  
tuor, totidem adulterini affectus falso imitari videntur. Poeticum  
quidem musica ista vulgaris, quae auribus duntaxat blanditur. Mys-  
terialium, vana multorum hominum superstitio. Vaticinium, fallax  
peritia humanae coniectio. Amatorium, libidinis impetus. Verus  
enim amor nihil est aliud quam nexus quidam ad diuinam pulchri-  
tudinem euolandi ab aspectu corporalis pulchritudinis excitatus.  
Adulterinus autem, ab aspectu in tactum praecipitatio.

Q V A M V T I L I S A M O R S O C R A-  
ticus. C A P. XVI.

Q Variū quid amor Socraticus conferat? Primo quidem ipsi So-  
crati plurimum ad alas illas recuperandas, quibus in patriam  
renolet. Deinde ciuitati suae magnopere ad honeste feliciterq; vni-  
um. Ciuitatem profecto non lapides, sed homines faciunt. Homi-  
nes vero à tenera aetate quemadmodum arbores à tenerioribus curan-  
di sunt, & ad frugem optimam dirigendi. Puerorum curam pa-  
rentes habent & pedagogi. Adolescentes autem limites parentum  
& pedagogorum non prius transgrediuntur, quam iniqua vulgi  
consuetudine deprauentur. Superiorem quippe viuendi normam do-  
mi imbibitam sequerentur, nisi ab ea improborum hominum, eorum  
praesertim qui illis blandiuntur, viti, consuetudineq; deflecerentur.  
Quid ergo Socrates faciet? Num permittet vt flagitiosorum conta-  
gione adolescentia, quae futurae reipublicae semen est, corrumpatur?  
At vbi patriae charitas? Succurret itaque patriae Socrates, filiosq;  
illius, suos autem fratres hac pernicie liberabit. Leges fortasse con-  
scribet, quibus lasciuos viros ab adolescentum consuetudine segregat.  
Sed non omnes Lycurgi, aut Solones esse possumus. Paucis  
gem condendarum datur autoritas, paucissimi legibus latis obtempe-  
rant. Quid ergo? vim inferet, & manu iniecta seniores à iuuentu-  
tute depellet? At solus Hercules cum monstris dicitur decertasse, ce-  
teris periculosissima est huiusmodi violentia. Forsitan scelestos ho-  
mines monebit, corripiet, obiurgabit. Ceterum perturbatus ani-  
mus monentis verba contemnit, & quod deterius est, sicut in moni-  
torem. Qua de causa ab alio pugno, ab alio calce, dum id ten-  
taret, percussus est Socrates. Vnica restat iuuentuti via salutis,  
Socratis consuetudo. Huic ergo Graecorum ille sapientissimus cha-  
ritate deuinctus sese miscet vbiq;, & magna incedit adolescen-  
tium comitante caterua. Ita verus amator, utpote pastor, agno-  
rum gregem à falsorum amantium, seu luporum voragine, ac per-  
se tutatur. Quoniam vero pares cum paribus facillime congregan-  
tur, parem se facit iunioribus puritate vitae, verborum simplicitate,  
ludis, iocis, atque facetijs. Seq; ex sene puerum facit, in primis vt  
pueros quandoque reddat domestica & incunda familiaritate senti-  
les. Ad voluptatem prona iuuentus sola voluptate tenetur, rigidus  
effugit preceptores. hinc nostrae adolescentiae tutor ad patriae suae  
salutem rerum suarum administratione neglecta iuniorum suscipit  
curam, eosq; primum iucunde consuetudinis captat suauitate. Ita  
illaqueatos, monet deinde seuerius. Postremo censura rigidiori  
castigat.

castigat. Hoc pacto Phaedonem adolescentulum lupanari publico prostitutum ab ea calamitate redemit, fecitque philosophum. Platonem poesi deditum coegit tragedias igni tradere, & studia preciosiora capessere. Xenophontem à vulgari luxu ad sapientum traduxit sobrietatem. Aeschinem & Aristippum ex pauperibus divites, Phaedrum ex oratore philosophum, Alcibiadem ex ignorante doctissimum reddidit. Charmidem grauem fecit & verecundum. Theagem iustum, fortemque in republica ciuem. Euthydemum ac Menonem à Sophistarum captiuitatibus ad veram transtulit sapientiam. Quo factum est, ut non tam iucunda quam vtilis fuerit Socratis consuetudo, ac multo ardentius ab adolescentibus, ut Alcibiades ait, dilectus fuerit Socrates, quam dilexerit.

QUOMODO AGENDAE SVNT GRATIAE spiritui sancto, qui nos ad hanc disputationem illuminauit atque accendit. Cap. XVII.

**I**Am igitur Conuiuia optimi quid amor sit, quis verus amator, quaeque amantis vtilitas ex vestra primum, ex mea deinde disputatione feliciter comperisse videmur. Huius autem inuentionis felicissimae causam & magistrum eundem ipsum amorem, qui & cooperatus est, fuisse proculdubio existimate. Amore namque, ut ita dixerim, inueniendi amoris accensit amorem qui assumimus & inuenimus, ut eidem inquisitionis & inuentionis pariter habenda sit gratia. O miram numinis huius magnificentiam. O incomparabilem amoris benignitatem. Cetera siquidem numina vix tandem postquam diu quaesieris, se parumper ostendunt. Amor etiam quaesiturus occurrit. Quapropter huic multo magis quam ceteris homines se debere fatentur. Sunt autem qui diuinam potentiam saepe audeant execrari, scelus nostrorum filimnatricem. Nonnulli etiam sapientiam adierunt nostrorum omnium exploratricem flagitiorum. Amorem vero diuinorum bonorum omnium largitorem non amare non possumus. Nos autem amorem hunc adeo nobis propitium ea mente colimus, ut veneremur: Sapientiam & potentiam admiramur, ut amore duce totum, ut ita loquar, deum habeamus propitium, ac totum amoris flagrantia diligentes, toto etiam deo amore perpetuo perfruamur.

PLATONIS CONVIVIUM, VEL, DE AMORE.

APOLLODORVS, FAMILIARES APOLLODORI, GLAVGO, ARISTODEMVS, SOCRATES, AGATHO, PHAEDRVS, PAVSANIAS, ERYXIMACHVS, ARISTOPHANES, DIO-TIMA, ALCIBIADES.



**V**IDEOR mihi in his qua petitis, satis praemeditatus esse: Heri enim cum domo ex Phalero in urbem redirem, quidam mihi notus à tergo me aspiciens, eminus vocauit, & inter vocandum iocatus: O Phalereae inquit Apollodore, non expectas? Ego autem expectaui. Tum ille: Quarebam te modo audire cupiens qui de amore sermones habiti sunt in ea caena, ad quam Agatho, Socrates, Alcibiades, nonnullique alij conuenerunt. Retulit quidem mihi & alius quidam, qui à Phoenice Philippi filio audierat, addiditque te scire. Verum nihil certi ea de re afferre poterat. Quare tu mihi referas. Tua enim interest sermones amici tui narrare. Id autem primum dicas. Ipse affuisti cum disputarent, an non? Reuera, inquam, certe nihil retulisse tibi ille videtur, si quidem conuenisse illos adeo nuper existimas, ut ego potuerim interesse. Existimabam equidem, inquit ille. Vnde nam istud? inquam ego. Nescis, o Glauco multis iam annis huc Agathonem non accessisse? Ex eo vero tempore quo cum Socrate versari assidue ceppi, eiusque tui dicta tum facta diligentius obseruare, nondum tres an-

ni fluxere. Antea vero quocumque contingebat oberrans, existimansque aliquid agere, omnium miserrimus eram perinde ac tu nunc, qui quodlibet aliud agendum censes potius quam philosophandum. Ne mordeas, inquit ille, sed quo tempore conuiuium celebratum sit, enarra. Ad haec inquam, Dum pueri adhuc essemus, in primo tragediarum certamine victoriam reportauit Agatho. Sequenti autem die post palmam, sacrae victoriae gratia celebrata, parato conuiuio disputatio instituta fuit. Longum, inquit, certe id tempus est. Sed quis tibi narrauit? Nunquid ipse Socrates? Non per Iouem inquam. imò idem qui & Phoenici Aristodemus quidam Cydathenens, qui exiguo corpore erat, & nudis semper pedibus ibat. Interfuit enim disputationi: quippe qui maxime omnium qui tunc erant, Socratem, ut mihi videtur, amaret. Quinetiam Socrates ipsum de nonnullis qua ille retulerat, percotatus sum, qui in his cum illo consentiebat. Cur ergo, inquit, mihi non refers? Apta quidem via est qua ducit in urbem, & ad audiendum pariter, & ad dicendum. Sic itaque inter eundem de illis verba fecimus. Quapropter quemadmodum à principio dixi, in his rebus satis praemeditatus sum. Quod si iterum vobis recenserem hac vultis, iterum recensebo. Nam quoties vel ipse de philosophia sermonem habeo, vel dicentes alios audio, praeter id quod prodesse mihi id putem, mirifice lator. Quoties autem sermones alios audio, vestros praesertim, qui cumulantis pecunijs studetis semper, & ipse angor, & vestri misereor, quod efficere aliquid existimetis, cum nihil efficiatis. Fortè etiam vos me infelicem putatis, quos & ipse de me vera putare arbitrator. Ego autem vos non puto quidem, sed certè scio. F.A.M. Semper Apollodore aequè tibi ipsi & alijs detrahis, ac videris proculdubio te quidem in primis, deinde alios omnes praeter unum Socratem infelices putare. Vnde verò insanè cognomen tibi exortum sit, nescio. Semper enim loquendo te & alios improbas, Socratem unum probas. APOLLO dilectissime vir, ex eo insanire & delirare me constat, quod ita de me ac vobis existimè. F.A.M. De his in praesentia contendere Apollodore nequaquam decet: sed precibus nostris obsequere, & qui sermones illi fuerint, nobis exponere. APOLLO. Tales vix tibi illi fuerunt. Imò verò à principio eodem ordine quo Aristodemus retulit, vobis ipse nunc recensere conabor. Inquit enim. Socratem se offendisse & locum & calceis pedes ornatum, qua ille raro faciebat: interrogasse verò quoniam ita ornatum iret. & respondisse Socratem, Agathonis in domum coenatum. hesternum verò coenam vitasse, quod turbæ propter Agathonis palmam concursum veritus esset, promississe autem sequenti die se affuturum. Ea verò de causa se ornasse, ut pulcher ad pulchrum iret. Quasi in super, quoniam pacto tu Aristodeme ad coenam proficisceris non vocatus? Ut tu iusseris dicebam, inquit. Sequere igitur, inquit me, ut prouerbiū perdamus, illud in hunc modum mutates, quod ad bonorum coenas boni et non inuitati proficiscuntur. Homerus quidem videtur non modo non obseruare, sed & violare prouerbiū. Nam cum Agamemnonem in re militari strenuum virum finxisset, Menelaum verò mollem, conuiuium celebrante post sacrificium Agamemnone, Menelaum inducit vitro ad mensam Agamemnonis venientem. Vbi deteriore ad praesentioris viri mensam non accersitū venire fecit. Hac audiens fortè & ipse, o Socrates dicebam, inquit, non talis, A iij qualem